1.

STATVTA GENERALIA CISMONTANARVM PARTIVM ORDINIS S. FRANCISCI REGVLARIS OBSERVANTIAE.

Per Sanctiſsimum Dominum noſtrum Papam IVLIVM Tertium approbata.

Nunc accuratè reuiſa, emendataq; diligenter Denuo typis impreſſa.

Iuſſu, & opera R. P. Fratris Claudij Medullæ dicti ordinis profeſſoris, ac Theologi.

Nec non Prouinciæ Mediolanenſis Miniſtri.

Superiorum conceſſu.

MEDIOLANI.

Apud Pacificum Pontium.

M. D. LXXX.

FRATER CLAVDIVS MEDVLLA Ord.min.de Obſer.Prouinciæ Mediolani Miniſter & S. Dilectis nobis in Chriſto Patribus & Fratribus eiuſdem Prouinciæ Sal.

QVE à maioribus noſtris prudenter quidem, ac ſapienter, magnaq; cum pietate ad honorem Dei, & Religionis augmentum, olim in Comitijs Generalibus, & Prouincialibus Salmanticæ, Romæ, Mediolaniq; celebratis, ſalubriter ſtatuta ſunt, vt ab omnibus Patribus & Fratribus huiuſce Mediolanenſis Prouinciæ cuius nos miniſterium, Deo diſponente, ſuſcepimus, inuiolabiliter decreta ſeruentur; hoc noſtro præſenti Decreto ſtatuimus, & ordinamus, vt quamprimum impreſſa, in ſingulis Conuentibus habeantur, terq; ſaltem in ſingulis annis coram Fratribus capitulariter congregatis in integrum perlegantur, vt vnuſquiſq; quid ſequi quidue cauere debeat, non ignoret. Propoſita priuationis pœna omnibus, & ſingulis Patribus Guardianis quorum culpa, vel negligentia id prætermiſſum fuerit. Valete in Domino, quem pro nobis exoratum iri velitis. Mediolani. die 27. Iunij, 1578.

Seraphinus Feltrenſis minorita Reuerendiſs. patri p. fratri Clementi Moniliano totius or. Mi. Generali Miniſtro benemerito.

Cunctus, qui Italiam colit, beati
Franciſci aurea dogmata atq; mores,
Obſeruans, tibi gratias agit Grex;
CLEMENS candide Paſtor: ipſe nanq;
Magnis excubijs laboribuſque
Donec colligis in breuem libellum
Vitã quæ ad bene ſcripſerũt agendã
Annis præteritis Patres verendi,
Quantũ opis, Deus optime, attuliſti
Nobis: ſunt etenim redacta in vnum
Quæ olim, non ſine maximo labore,
Sparſa hinc inde tuis legenda alũnis
Erant, pro meritis quibus rogamus
Qui cunctos regit, vt tibi det annos
Viuere incolumi, tuæ ſuperſunt
Qui uitę, in Patriã & vocãs ſubinde
Inter Cœlicolas locet beatos:

Suſcipe tantillos præſul veneranda labores:
Quos me Franciſci ſumere iuſſit amor.

FRATER CLAVDIVS
MEDVLLA ORDINIS MINORVM DE OBSER.
PROVINCIAE MEDIOLANI Miniſter, & ſeruus.

Dilectis nobis in Chriſto, eiuſdem ordinis, & Prouinciæ profeſſoribus ſalutem, ac ſanctæ Obſeruantiæ ſtudium.

MAIORVM noſtrorum ſtatuta, ac Decreta ſalmanticæ, Aquilæ, Valloleti, Romæ, ac Pariſijs nouiſſimè confecta, iuſſu noſtro anno ſuperiori, & altero typis impreſſa, & in lucem emiſſa vobis ſignificari curauimus, eo ſanè pietatis ſtudio, vt, & Dei gloriæ, inprimis ſeruiremus, & veſtræ ſaluti proſpiceremus. Quia verò ea omnia immo eodemq; tempore nobis præ manibus non fuerunt, ordine prepoſtero digeſta ſunt. Idcirco, ne vlla exinde ambiguitas vnquam oriri contingat, ſed eò facilius intelligantur, & accuratius intellecta ſeruentur, quò diſtinctius impreſſa fuerint, nunc denuo prelo dari iuſſimus. His interiecta ſunt multum R. P. Fratris Bonauenturæ Vrceani viri peritiſſimi, huius noſtræ Prouinciæ olim Miniſtri

integerrimi ac Reuerendiſs. P. Fratris Antonij Geneſtreti viri grauiſſimi, ac doctiſſimi, aliaſq; Commiſſarij Gener. Ciſmontani prudentiſſimi, particularia decreta, & ſtatuta ad hanc eandem prouinciam ſpectantia. Accedunt viſitationum noſtrarum ſtatuta, & decreta in frequenti Prouinciali Capitulo Modoetiæ poſtremo canonicè celebrato, ſolenniter publicata, cum quibuſdam particularibus eiuſdem Capituli decretis. Quibus adiuncta eſt Reuerendiſs. P. F. Franciſci Gonzagæ totius ordinis Miniſtri, ac moderatoris Generalis optimi, ac ſapientiſſimi epiſtola, grauiſſima quidem, ac ſingularibus documentis referta. Deinde regulæ noſtræ præcepta, æquipollentia, præceptiq; vim habentia. Poſtremò ſummorum Pontificum nonnullæ litteræ, motus proprij, ac Breuia quoquomodo ad ordinem pertinentia. Cæterum quæ de his in ſingulos annos integrè recitandis, per alias noſtras iam mandauimus, nunc iterum diſtrictè iubemus ſub graui ſuſpenſionis pœna omnibus prælatis localibus quorum culpa, vel negligentia, eorum quicquam prætermiſſum fuerit, ſubeunda. Illud verò vehementer optamus, voſq; obnixè rogamus omnes, & per viſcera miſericordiæ D N. Ieſu Chriſti obſecramus, vt has conſtitutiones, & Decreta quanto maximo poteſtis amore, & pietate amplectamini, legatis, ſequamini; totoſq; vos ad eorum ſententiam, rationemq; accommodetis. Immo verò ſi quid in his meriti nobis eſſe poteſt, id mihi, & pijs ipſis, ac prudentibus patribus, quibus conſentientibus, & adiuuantibus hæc acta

ſunt

ſunt præripite. Nam ſicut obedientia eſt officij præceptione præſtantior, ſic & legum cultores magis quàm conditores commendantur. Cæteris verò etiam fratribus veſtra, vel morum mutatione, vel innocentia, ac pietatis perſeuerantia, ita prælucete, vt veſtro exemplo ad virtutis cultum, & ſanctæ Obſeruantiæ ſtudium reliquæ etiam Prouinciæ incitentur. Nobis enim, & Patribus ipſis, vt in his decretis nihil propoſitum fuit, niſi Dei gloria, & veſtra ſalus, ſic nihil optatius eſſe poteſt, quàm vt ita decreta ſeruentur, vt pœnis, quæ delinquentibus minantur, nullus locus relinquatur; magisq; in agendo veſtra religio, ac probitas, quâ vna, vel maxima voluptate noſter compenſibitur labor; quam noſtra in decernendo diligentia, commendetur. Valete in Domino. Nosq; veſtris orationibus adiuuate. Mediolani. die XVII. Maij. M. D. LXXX.

F. CLEMENS DE MONILIA Ordinis ſancti Franciſci Generalis Miniſter & ſeruus, vniuerſæ noſtræ Ciſmontanæ familiæ de Obſeruantia nuncupatæ. S. P. D.

PERQVIRENTI mihi cauſas, cur noſtri ſplendor ordinis, quodammodo obſcuretur, ac exterior conuerſatio adeo inficiatur, vt vel prælatorum incuria, vel ſubditorum numero: tranſgreſsionum talis excreuerit multiplicitas, quæ apud priſcos noſtros, non ita frequens, publica, inulta, probata & benemerita haberetur. Nunc enim multo plura ſibi vendicat luxus; minus parcit auaritia, & nunquam apud nonnullos pſeudo fratres tantum intumuit ſuperbia, & quæ olim magiſtra diſciplinæ, probitatis ſchola, ſanctorum doctorum mater erat fœcundiſsima, orbata iacet. Vbi nunc ille diuinus cultus? Vbi contemplationis, ac vetus deuotionis incendium? cecidit ille paupertatis decor, quo tantum religio ſolebat gloriari noſtra, & cæteris dignitate præſtare. Iam (prohdolor) in multis, nulla maior obedientia eſt, quàm nulli parere. Occurrit (vt diui Bonauenturæ vtar ſententia) negotiorum implicatio, qua pecunia noſtro inſtituto inimica, accidè petitur, incautè recipitur, incautiusq́; contrectatur. Occurrit & quorundam fratrum ocioſitas quæ ſintina omnium eſt vitiorum qua plurimi ſopiti, monſtruoſum quendam ſtatum, inter contemplatiuam actiuamq́; vitam eligentes, non tam carnaliter, quàm crudeliter, ſanguinem comedunt animarum. Occurrit etiam euagatio plurimorum, qui propter corporale ſolatium, fratres, ſecularesq́; ad quos declinant, importunæ grauando, non odorem poſt ſe ſpiritualis vitæ, ſed ſcandala potius relinquant animarum. Occurrit quoq; importuna mendicatio, qua, omnes tranſeuntes per viam, adeo abhorrent fratrum occurſus, vt eos quaſi prædones, offendere timeant. Occurrit non minus incauta familiaritatum frequentia, quam noſtrum proprium prohibet ſodalitium, ex

qua,

qua,ſuſpiciones,infamiæ,& plurimorum offendiculæ oriuntur. Occurrit improuida officiorum promotio, qua, fratribus nondum vſquequaq; probatis, aut carne maceratis, uel ſpiritu roboratis,vix ferenda imponuntur munera. Occurrit poſtremò (poſt ſepulturarum, teſtamentorumq; auidam inuaſionem,non ſine maxima cleri turbatione) frequens locorum mutatio, inutiles diſcurſus, cum quadam expenſarum ſumptuoſitate, non ſine paupertatis præiuditio. Cum enim fratres nolint paucis eſſe contenti,charitasq; plurimorum, refriguerit, facti ſumus omnibus onerosi, magisve in dies fiemus, ni celeriter remedium adhibeamus opportunum. Quare ex his, quàm plurimi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ permoti cardinales, ac domini proprij præfati noſtri inſtituti Zelatores, quærelis multis, & reclamationibus, pias ſanctiſsimi domini noſtri, ac Illuſtriſs. & Reuerendiſs. protectoris, aures, propulſarunt, qui cupientes hanc noſtram familiam (cui maximè propter vberes fructus quos in eccleſia Dei parit; afficiuntur) diuinorum ſemitam mandatorum, ſub illa verà Beati Patris noſtri FRANCISCI norma, laudabiliter tranſigere, necnon calumniantium ora obſtruere; nos, & apoſtolicis litteris, & viuæ vocis oraculo, maxima cum inſtantia præmonuerunt, vt modis omnibus nobis poſſibilibus, eiuſdem ordinis, ciſmontanarum præcipuè partium, reſtrictionem, ac reformationem, procuraremus. Nos itaque mandatis apoſtolicis, ac tot tantorumq; magiſtratuum ſalutiferis monitis (vt par eſt)facere ſatis volentes, ne exleges diceremur, de nonnullorum probatiſsimorum patrum ordinis noſtri conſilio, pariter & aſſenſu, pro diuini cultus incremento,pro cerimoniarum ritu, orationis, atque ſpiritualium chariſmatum augmento, veſtimentorum ruditate,& ciborum parſimonia, vitæ modeſtia, morum ſanctimonia, reſtaurandis ſacræ paginæ ſtudijs,tollenda iuuenum inertia, ſeniorum reuerentia augenda, infirmorum & aduentantium hoſpitum charitate, & vt poſtremò vera regularis vitæ obſeruantia reuiuiſcat, infraſcriptas priſcarum ſanctionum reſtrictiones ac reformationes,cum quadam regulæ noſtræ compendioſa, perutiliq; (iuxta diuerſorum ſummorum Pontificum declarationem) explanatione, ſimulq; cum ordinatio-

dinationibus, ac generalibus ſtatutis, ſummatim iuxta ordinem, & mandatum, nobis per generale capitulum noſtrum, nuper ſalmanticæ celebratum, præſcriptum, ad Dei laudem, ſpiritualemque ordinis præfati & maxime præfatarum ciſmontanarum partium profectum, inter innumeros, quos iugiter ſuſtinemus labores, ſedulo compegimus, collegimus, & ordinauimus. Quas ab omnibus & ſingulis, vtriuſq; ſexus perſonis nobis commiſsis, auctoritate præfati ſanctiſsimi Domini noſtri (quam vna cum voluntate dicti Reuerendiſsi D. Protectoris, ac tabula præfati generalis capituli, & indice omnium dicendorum, antedictis ordinibus præpoſuimus) totiusq; ſupradicti capituli generalis, ac noſtra, mandamus perpetuò, tam à capitibus quam à membris, inuiolabiliter obſeruari. Sperantes indubiè, quòd qui cupiunt animarum ſuarum ſaluti conſulere, pro perſonarum, ſtatuum, temporum, ac locorum qualitate, in præfatis coaptatum ſibijpſis inuenient modum, quo fratres paulatim, de virtute in virtutem proficientes, quouſq; uideatur Deus Deorum in Syon, ad perfectiora diſponantur, & vt diſtinctius ac clarius præfata innoteſcant, & facilius à lectoribus comperiantur, conformiter ad duodecim regulæ noſtræ, dicta ſtatuta, ſub compendio (vt præfertur) redacta, in duodecim diuiſimus capita. Vale mi cœtus inclyte, ac perdilecte in domino, & pro eiſdem ſanctiſsimo domino noſtro, Reuerendiſs. Protectore, paceq; totius Reip. Chriſtianæ, ac augmento diuini cultus, & pro me ſeruo tuo, indignoq; dicti ordinis moderatore, deuotas ad Deum præces inceſanter fundito. Dat. Venetijs. in conuentu noſtro S. FRANCISCI à Vinea. Die xxviij. Menſis Ianuarij. M. D. LIIII.

IVLIVS PAPA III.

Dilecto filio CLEMENTI Moniliano totius ordinis fratrum minorum regularis obſeruantiæ Generali miniſtro.

DILECTE fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quum ſicut accepimus, ſuperioribus diebus dilecti filij, capitulum ordinis fratrum minorum regu. obſer. in do-

mo ſancti Franciſci, Salmanticen. in unum (vt moris erat) congregati, habitis prius & ſeruatis ſolennitatibus in ſimilibus obſeruari ſolitis, te in eiuſdem ordinis miniſtrum generalem, iuxta regularia ipſius ordinis inſtituta, & priuilegia Apoſtolica, illi deſuper conceſſa, communi omnium voto, elegerint, tuq; electioni huiuſmodi, illius tibi præſentato decreto, conſenſeris, & exinde tam tu, quàm ipſi capitulum, nonnulla ſpiritualem profectum, & quietem, ac augmentum præfati ordinis concernentia, non ſolum ad fratrum, uerumetiam, ad tibi creditarum monialium, & ſororum ordinis huiuſmodi utilitatem, & inter alia, quòd ſorores tertij ordinis ſancti Franciſci, in communi viuentes, ad euitanda ſcandala, & amouenda multorum offendicula, more monialium ſanctæ Claræ, perpetuò claudantur, nulloq; modo intra earum clauſuram viros admittant, niſi eis ſuperinde facultas à ſede Apoſtolica, pro ſua maturitate concedatur, matura deliberatione præhabita, ſtatueritis, & ordinaueritis, prout in diuerſis deſuper confectis documentis publicis, ſeu alijs ſcripturis, dicitur plenius contineri. Nos qui ordinem tuum huiuſmodi, ſingulari beneuolentia proſequimur ſperantes, quòd dictus ordo, & illius fratres, ac tibi creditæ moniales, & ſorores, ob feruentem animarum zelum, quem tibi ineſſe iamdudum cognouimus, per tuæ ſolicitudinis ſtudium, piè & religioſè regentur, & gubernabuntur, electionem, ac ſtatuta, et ordinationes huiuſmodi, necnon, prout illa concernunt, omnia & ſingula in documentis ſeu ſcriptis huiuſmodi contenta, et inde ſecuta quæcunque, quatenus ſacris canonibus non contrariemur, Apoſtolica auctoritate per præſentes approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robore communimus, ſupplentes omnes, & ſingulos, iuris, & facti defectus (ſiqui forſan interuenerint in eiſdem) tibiq; quod officium miniſtratus generalis ordinis huiuſmodi integrè, & abſq; eo quòd prætextu aliquarum facultatum, ſeu auctoritatum, quibuſuis perſonis, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, uel conditionis, exiſtentibus, hactenus quomodolibet conceſſarum, & in poſterum concedendarum, (quas ex nunc, in quantum officio tuo præfato præiudicent, aut te in illius exercitio, quouiſmodo impediant, ha-

rum ſerie reuocamus, & annullamus,) impediri, aut perturbari poſsis, etiam noſtra auctoritate exercere. Et quæ tibi uidebuntur dicti ordinis prouincias tibi ſubiectas, pro earum & dicti ordinis pace, & quiete, inſimul vnire, & ad eas quos volueris, etiam externos prælatos, ſeu miniſtros, eiuſdem tamen ordinis, deſtinare, ac omnia alia, quæ capitulum generale ordinis huiuſmodi, in eiſdem prouincijs, tam ex ſua ordinaria, quam ex apoſtolica auctoritate, agere, & facere poſſet, in ipſis prouincijs facere, exercere, & exequi, ac omnibus, & ſingulis immunitatibus, facultatibus, priuilegijs, indultis, & gratijs, miniſtris generalibus dicti ordinis qui hactenus fuerunt, per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, tam viuæ vocis oraculo, quam in ſcriptis, quomodolibet conceſsis, vti, frui, et gaudere liberè et licitè valeas, dicta auctoritate Apoſtolica, concedimus, & indulgemus. Mandantes vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus perſonis, tibi ratione officij huiuſmodi creditis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna per eos incurrenda, vt tibi in his, quæ officium præfatum concernunt, ac omnibus alijs, quæ contra animam & inſtitutum ſuum, non ſunt, humiliter intendant, & pareant cum effectu, nec tibi in aliquo quouis modo contradicere, aut refragari audeant, vel præſumant, Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſq; cõtrarijs quibuſcunque, verum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca in quibus de eis fides facienda erit deferri, volumus & præfata auctoritate apoſtolica decernimus, quòd earum tranſumptis manu notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo tui miniſtratus officij ſignatis, ea prorſus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris. die xj. Octobris. 1553. Pontificatus noſtri anno. 4.

Io. Larineñ.

RODOL-

RODOLPHVS PIVS EPISCOPVS *Tuſculanus S. R. Eccleſiæ Card. de Carpo totius ordinis ſancti* FRANCISCI *protector, & corrector, &c.*

REVERENDIS patribus miniſtris, ac cæteris fratribus Ciſalpinę familiæ ordinis Minorum, de obſeruantia nun cupatis, ſalutem: &c. Inter cætera, quæ proximè præterito anno, in frequenti conuentu veſtro, generali, ſalmanticæ habito, pro commoditate, profectuq; veſtri ordinis, decreta fue re, vnum inprimis fuiſſe intelleximus, maximum ſanè illud, vt omnes perſpicere poteſtis, ad ſodalitatis veſtræ obſeruationem, facilius aſſequendam, expeditiusq; eiuſdem regimen, momentum habiturum. Vt quoniam conſtitutiones veſtræ in ciſalpino inſtituto, ad infinitum penè numerum excreuiſſent, quarum multæ, infructuoſæ, & nullius omnino vſus, ſed impedimenti, potius eſſent, nonnullæ etiam inter ſe, tota ratione contrariæ, quod confuſionem magnam pareret, depræhenderentur: Ideo illis omnibus diligenter, accurateq; perſpectis, atq; diſcuſsis, quæcunque earum repertæ fuiſſent, regulæ veſtræ, receptisq; atque ſinceris eius interpræta tionibus, conuenire, ea (cæteris omnibus tanquam inutilibus reſecatis, & abiectis) ad duodecim tantum capita, eiuſdem veſtræ regulæ imitatione, quæ totidem capitibus comprehenſa eſt, redigerentur. Cum itaque, quemadmodũ nos ſemper, vehemẽter optauimus, ac cum Dei opt. Max. auxilio, aliquando futurum eſſe ſperauimus, illud non minori ſanè zelo religionis, quam, prudentia et diligentia præditus vir Frater Clemens à Monilia miniſter generalis veſter, cui ea prouincia, à conuentu prædicto demandata fuerat, egregiè & præclarè præſtiterit: Hunc eius tam vtilem, ac potius neceſſarium laborem, ſanctiſsimus in Chriſto pater ac D. Iulius iij. Pontifex maximus, quemadmodum, optimum parentem, ac principem Chriſtianorum omnium, religionisq;, decebat, & gratum habuit, & magnopere probauit. Nobisq; præterea, ceu diui Franciſci inſtituto, protegendo, iuuando, ac proue-

hendo, deputatis impoſuit, vt ſuæ ſanctitatis iuſſu, vobis vniuerſis, veſtrumq; ſingulis, per ſanctam obedientiam in virtute ſpiritus ſancti præciperemus, vt huiuſmodi ſtatuta, in ordinem, formamq; prædictam, redacta, atque correcta, reliquis omnibus ſepoſitis & reiectis, reciperetis, amplecteremini, obſeruaretis. Nos itaq; pro veteri noſtra, in veſtram ſodalitatem charitate, in Chriſto, etiam atque etiam, hortamur, et pro officij noſtri munere, proq; virtute, in primis mandati à ſanctiſsimo domino noſtro, accepti, Vobis arctiſsimi præcipimus & mandamus, vt nouiſsimam hanc ſeriem ſtatutorum, à Reuer. patre veſtro generali miniſtro, ſic diſpoſitam, & promulgatam; tanquam ueram, & vobis omnibus perpetuò obſeruandam ſuſcipiatis; req; ipſa pro viribus quo cuncta vobis, proſperè, & fœliciter cedant, ad Chriſtianæ catholicæ Eccleſiæ incrementum, veſtriq; inſtituti profectum, quē in dies maiorem atque maiorē eſſe percupimus, inuiolabiliter obſeruetis, noſtri interdum, in veſtris ad Deum præcibus memores. Romæ. anno à natiuitate Chriſti. M. D. LIIII. Die octaua Ianuarij.

Rodulphus Card. de Carpo protector.

Sigiſ. Botius ſecr.

Auctoritas tradendi prælo infraſcripta ſtatuta, conceſſa à Reuerendiſſimo Legato totius dominij Veneti, lingua vulgari impreſſa.

HAVENDO noi Ludouico Veſcouo di Rauello Legato Apoſtolico veduto i breui, & patente, ſcritte dalla Santità di noſtro Signor, & da Monſignor Reuerendiſs. de Carpi Protettore, al Reuerendiſs. Padre fra Clemente de Monelia Generale dell'ordine di San Franceſco oſſeruante, per ordinare, & reformare gli ordini, & conſtitutioni della detta congregatione, & conoſcendo ogni coſa eſſere bene, & ſantamente fatta affermiamo per virtù di queſta, che ſi poſſano, & debbano ſtampare ſenza ſoſpetto alcuno di contenere coſa che ſia in preiuditio ne della religione Chriſtiana, ne di prencipe alcuno ſecolare. In quorum fidem, &c. Data Venetijs die 25. Ianuarij. M. D. LIIII.

Ita eſt. Ludouicus Epiſcopus Rauellenſis Legatus.

¶ Hæc eſt tabula diffinitionis, horum celeberrimorum commitiorum vniuerſi ordinis fratrum Minorum obſeruantium, ſalmanticæ celebratorum, ad feſtum Penthecoſtes, anno 1553. Sub Reuerendiſsimo patre fratre Clemente Moniliano, qui cum alijs honoribus & muneribus, tum commiſsione Romæ, nuper perfunctus, tandem, pro ſuis egregijs animi dotibus, multisq́; ac magnis erga rempublicam noſtram meritis, omnibus ad vnum ſuffragijs ritè atq; canonicè latis, electus eſt in ſummũ ordinis noſtri miniſtrum, peracto mox ſexennio Reuerendiſsimi patris fratris Andreæ Inſulani, eiuſdem ordinis generalis quoq; miniſtri, Qui deinde in eiſdem comitijs, pro egregijs ſuis virtutibus, quas in rebus gerendis præſtitit, omnibus ferè ſuffragijs, ciuſmontanarum partium creatus fuit commiſſarius generalis, in eodemq; munere confirmatus.

Diffinitores Generales pro ciſmontana familia.

Reueren. pater frater Antonius Gutmanus prouinciæ diui Iacobi pater.

Reu. P. F. Bernardus Freſneda, prouinciæ Burgenſis cuſtos.

Reu. P. F. Antonius Dalmeida prouinciæ Portugaliæ miniſter.

Reu. P. F. Patritius Ohogam, prouinciæ Hiberniæ miniſter.

Reu. P. F. Gabriel Taparellus prouinciæ Franciæ Pariſienſis miniſter.

Reu. P. F. Maturinus Daſsi, prouinciæ Turoniæ miniſter.

Diffinitores pro familia vltramontana.

Reu. P. F. Aloyſius de Burgonouo prouinciæ Bononiæ miniſter.

Reu. P. F. Angelus Auerſanus prouinciæ terræ Laboris miniſter.

Reu. P. F. Angelus de Portu Mauritij Ianuenſis prouinciæ pater, ac prouinciæ S. Hieronymi de Vrbe miniſter.

Reu. P. F. Franciſcus Bartholomæi prouinciæ Tuſciæ Florentinæ cuſtos.

Reu.

Reu. P. F. Euangeliſta de Rubino prouinciæ Dalmatiæ miniſter.
Reu. P. F. Petrus de Vercellis prouinciæ Mediolani cuſtos.
¶ Poſt vero generalia Comitia dictus Reuerendiſs. P. Generalis, in Guardianum Hieroſolymitanum inſtituit,
Reu P. F. Bonifacium de Raguſio ſacræ Theologiæ Generalem lectorem, & prædicatorem ac prælibatæ ſuæ prouinciæ patrem.

STATVTVM CAPITVLI SALMANTICEN. mo

VISVM eſt, eidem R. P. Miniſtro Generali ſimul ac vniuerſis patribus, atq; ita decretum, vt quidquid eſt ſtatutorum, eorum præſertim, quæ cum regulæ noſtræ interpretationibus, vſitatis, maximè conueniunt, redigatur, & contrahatur in duodecim capitula, quemadmodum totidem conſtat ipſa regula noſtra, cuius rei conficiendæ negocium, & cura, committitur arbitrio ipſius Reuerendiſs. Patris Miniſtri Generalis ipſorumq; patrum diffinitorum, vltramontanæ familiæ.

STATVTA ET ORDINATIONES GENERALES ORDINIS FRATRVM MINORVM DE OBSERVANTIA NVNCVPATORVM.

Perpetuò (omnibus alijs abolitis & reiectis) à fratribus Italis & Ciſalpinæ familiæ, de expreſſo mandato Sanctiſs. D. D. noſtri Papæ Iulij tertij, & Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. domini Cardinalis de Carpo, protectoris noſtri, obſeruandæ & tenendæ, ordinatę & ad compendiũ, magno cum labore redactæ, per me fratrem Clementem de Monilia, præfati ordinis generalem miniſtrum.

Caput primum, De præeminentia regulæ & vitæ dictorum fratrum minorum, vbi continentũt tria genera religioſorum, & quomodo exhibere debent fratres obedientiam & reuerentiam dicto ſanctiſſimo domino noſtro, & puniri in hoc delinquentes.

R*EGVLA* & vita fratrum Minorum hæc
eſt, &c. ¶ *Pro quo eſt aduertendum, quòd*
ſtatus religionis noſtræ eſt quidam modus Religionis noſtræ ſtatus qd.
viuendi in eccleſia militanti, voto ſolenni
firmatus (Differentiam voti ſimplicis, pu-
blici & ſolennis habes inferius in 2. capite) in quo quaſi
in ſchola virtutum, per modum diſciplinæ, deo famulan-
do, tenditur ad ſpiritualem perfectionem charitatis. Et ra- Perfectio ſtatus in quo conſiſtat.
tio omnium ſupradictorum eſt, quia perfectio ſtatus conſi-
ſtit inſequendo Chriſtum, & in relinquendo omnia propter
ipſum. Matth. 19. ſi vis perfectus eſſe vade & vende omnia
quæ poſsides &c. In quo modo viuendi Chriſti, & imitatio Religio eſt ſchola virtutum.
ne apoſtolorum, ordo noſter magis ſtrictius imitatur, quàm
quæcunq; alia religio, cum nec in communi, nec in ſpeciali,
aliquid habeat. Eſt etiam ſchola virtutum, in qua tenditur

ad

ad perfectionem, vnde Ber. in vna epiſt. Ordo ſeu religio eſt ſtudere, ſeu ſe exercere, in vigilijs, orationibus, & opere manuum, & in his omnibus proficere de die in diem, & perſeuerare vſque in finem, quæ omnia (vt patet intuenti) mandantur, vel conſuluntur, in regula iſta.

Religio eſt ſtatus perfectionis acquirendæ.

¶ Et pro maiori declaratione, notandum eſt, quòd religio eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, in qua profeſſores eiuſdem, tanquam in ſchola virtutum, obligantur tendere ad perfectionem charitatis, & differt ſecundum Scotum. 35. tertij, a ſtatu Epiſc. qui ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ, cum ſint purgatores, perfectores, & illuminatores ſubditorum. Religioſi vero ſunt in ſtatu perfectionis acquirendæ, quia ſunt perficiendi tanquam ſubditi, & diſcipuli in ſchola virtutum. Dico tamen quòd religio ſic eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, quòd obligat profeſſores ſuos ad aliqua, ad quæ, qui non ſunt religioſi, inquantum huiuſmodi, non obligantur, vnde in ſtatu perfectionis dicitur quis eſſe. non ex hoc, quia habet actum dilectionis perfectæ, ſed quia ſe obligat perpetuò cum aliqua ſolennitate ad ea, quæ ſunt perfectionis, vt potè ad tria vota religionis. Contingit autem quòd aliqui ſe obligant ad ea quæ non ſeruant, & aliqui implent ea, ad quæ non ſe obligauerunt. Primi licet ſint in ſtatu perfectionis, non tamen ſunt perfecti, Alij autem ſunt perfecti, licet non ſint in ſtatu perfectionis.

Differentia ſtatus Epiſcoporum & religioſorum.

Vota quæ diſpenſari poſſint.

¶ Et ſciendum, quod licet quando aliqui ad aliqua vota, voto ſimplici vel priuato, ſunt obligati, finaliter cum eis poſſit diſpenſari, non tamen cum obligatis voto ſolenni (quod intelligendum eſt ſine iuſta & rationabili cauſa) vnde diſpenſatus à Papa in his quæ ſunt iuris diuini, ſine iuſta cauſa, vt in voto ſolenni, & iuramento, non eſt quo ad Deum (ſecundum Panormitam, de voto & voti redemptione. c. Non eſt voti) tutus in conſcientia.

4\. *¶ Cæterum omnis religio ordo vocatur, propter inſtitutos & ordinatos modos tendendi in finem ſuum, ad quos ſic obligantur omnes religionis ſtatum profitentes, vt non obſer-*

obſeruantes, maximis periculis ſuæ ſalutis ſubiaceant, unde Gregorius docimus extra de religioſis domibus libro. 6. c. unico, ſic eam ordinem vocat, dicens, Diſtrictius prohibemus, ne aliquis de cætero nouum ordinem, aut religionem inueniat, aut habitum religionis aſſumat.

¶ Beatus uero Hierony. 3. ca. ſuæ regulæ, ponit tria genera religioſorum in genere. Religioſorum tria ſunt genera.

¶ Primi dicuntur Sarabitæ, hinc inde diſcurrentes, & in ſpiritu ſuæ libertatis uiuentes, qui dicuntur ſe Chriſtum ſequi, in eo, quòd circuibat ciuitates & caſtella, qui etiam propriè dicuntur Circuncelliones, quaſi per diuerſas cœllas ſemper uagantes, communitates fratrum ſemper fugientes. Hic modus ſatis vituperatur a doctoribus, & in iure. x. q. 1. quidam monachi. Sarabitæ qui.

¶ Secundi dicuntur Anachoritæ. i. ſolitarij, qui etiam profitentur ſe Chriſtum imitari, in eo quòd ſolus agebat in deſertis, Lucæ. 4. & in montem aſcendit ſolus orare, Matth. 14. Hi traxerunt originem ab Helia, uel Ioanne Baptiſta. Et ſecundum beatum Thomam ſecunda ſecundæ. q. 188. quamuis uita ſolitaria, ſi debitè aſſummitur, præmineat uitæ ſociali, ſicut quod iam perfectum eſt, exercetur, tamen ſi uita ſolitaria, abſque præcedenti exercitio in ſchola uirtutum, aſſumatur; periculoſiſſima eſt, niſi per diuinam gratiam ſuppleatur, quod in alijs per exercitium acquiritur, ſicut in beato Antonio & Benedicto. Vita enim ſocialis, neceſſaria eſt ad exercitium perfectionis acquirendæ, quia mutuo ſe inſtruunt uerbo & exemplo, ac correctione, & ad perfectum conducunt. Solitaria competit iam perfectis, qui aliorum regimine non indigent, ſed ſolum ſpiritu dei aguntur. Vnde Hierony. ad Ruſticum monachum, Tractandum eſt utrum ſolus, an cum alijs in monaſterijs uiuere debeas, mihi placet, vt habeas ſanctum contubernium. i. ſocietatem, ne ipſe te doceas, & abſq; doctore, ingrediaris uiam, quam nunquam ingreſſus es, hanc iſtam uiam non debent aſſumere, niſi iam Anachoritæ qui.

perfecti, & in religione exercitati, & probati.

Cænobitæ qui. *¶ Tertij dicuntur Cænobitæ, ideſt in congregatione viuentes, à cænon, quod eſt commune. Hi videntur exorti ſub Heliſeo, qui conſtituit cuneum prophetarum, ideſt religioſorum ſecundum Glo. quarti Reg. 4. ſed fuerunt renouati a Chriſto per diſcipulos habuit enim pariter habitantes, et in communi viuentes, cum quibus in montem aſcendens, docebat eos, Matth. 5. Iſti Cænobitæ habent diuerſa inſtituta, quæ dicuntur ordines, propter ordinatum modum viuendi, ſecundum regulas & conſtitutiones eorum, quas profitentur, & ad diuerſa deputantur, uidelicet, ad vitam actiuam, vel contemplatiuam, aut mixtam, ſecundum quòd inſtituti ſunt dicti ordines, & tenentur ſtatum religionis quem profitentur, obſeruare, quia aſſumens ſtatum aliquem, tenetur ſeruare ſpectantia ad ſuum ſtatum. Ita etiam profitens religionem, tenetur ſeruare ea quæ ſpectant ad ordinem & regulam ſuam, vnde factus prælatus tenetur ſeruare ea quæ ſpectant ad ſtatum prælationis, & Chiſtianus, quæ ſpectant ad Chriſtianitatem. Ita religioſus ea quæ ſunt de ſubſtantia regulæ ſuæ, alioquin ſe exponeret damnationi æternæ, & inſtitutum illud diceretur, regula, & non vita, ſi igitur ſodalitium noſtrum debeat eſſe regula et vita (vt in frontiſpitio regulæ noſtræ eam uocat beatus pater Franciſcus) oportet quòd ſit correſpondentia vitæ, ad regulam, & religionem.*

¶ *Sequitur*, Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctum Euangelium obſeruare. *Vbi nota, quòd ordo communiter tenet ac ſentit, quòd vbicunque ponitur in regula hoc vocabulum, teneatur, obtinet vim præcepti, & pro tali debet ſeruari a fratribus, qui ſecundum declarationem ſummorum Pontificum, ad illa ſola euangelica conſilia obligantur, quæ in ipſa regula, præceptoriè, vel inhibitoriè, aut ſub verbis æquipollentibus ſunt expreſſa. Nec ſecundum eoſdem ſunt obligati teſtamento beati patris noſtri Franciſci.*

¶ *Omnes*

¶ *Omnes tamen fratres, vt dignum ac iuſtum eſt, reuerentiam exhibeant, honorem, humilem obedientiam, & firmiſsimam fidelitatem ſanctiſsimo domino noſtro papæ, & ſacroſanctæ ſedi apoſtolicæ, prout in principio, medio, & fine regulæ, obligantur. Vnde ſequitur* Frater Franciſcus promittit obedientiam, & reuerentiam domino Papæ Honorio & eius ſucceſſoribus canonicè intrantibus, *cæteriſq; prælatis, et ſacerdotibus, vt fuit intentio dicti patris noſtri, qui præsbiteros monuit præ cunctis revereri.* Obedire debent fratres ſummo Pontifici.

¶ *Vnde, ſiquis frater ore blaſphemo, de perſona ſummi Pontificis, vel de conſtitutionibus apoſtolicis, obloqui temerariè præſumpſerit, & in hoc legitimè deprehenſus fuerit, pœna carceris per bimeſtra, uel alia grauiori, iuxta qualitatem delicti, plectatur. Hoc tamen intelligitur de pontifice, qui non facto, ſed canonicè ad tale munus eſt electus.*

¶ *In hoc etiam capitulo tanguntur tria eſſentialia regulæ noſtræ vota, ſcilicet obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, cum dicitur, viuendo in obedientia &c. Per quæ renunciando bonis corporis, fortunæ, & propriæ voluntatis, reportamus in ſpirituali militia victoriam mundi, carnis & diaboli, & licet illa tria vota ſint communia omnibus regularibus, & approbatis religionibus, Obedientia tamen regulæ noſtræ, ſicut & paupertas ac caſtitas, præualent dictis virtutibus, in alienis ordinibus promiſſis. Nam vt habetur, extra de officio ordinarij, ca. quanto, Monachorum obedientia duobus conſtringitur; primò per obedientiam vouent loci ſtabilitatem, ſecundò quia ad nihil obedire tenentur, quod regulam ſuam tranſcendere demonſtratur. Sed altior eſt obedientia noſtra, quæ nullum habet in hoc mundo locum, aut ius proprium, quo noſtra obedientia reſtringatur, ſimiliter & altior eſt noſtra regula, perquam tenemur nihil reſpuere, niſi ſit regulæ vel ſaluti contrarium, Illi ergo ſoli abnegationis perfectè gradus attingunt, qui in omnibus, etiam indifferentibus, ſubſunt bene-*

Regulę noſtrę tria eſſentialia

Profeſſio noſtra aliorum quorumcunq; profeſsione pſtantior.

placitis alienis, qui nullum habent patrocinium ſtabilitatis loci, vel regionis, ad quam eorum obedientia contrahatur, qui nihil ſibi per obedientiam impoſitum poſſunt repellere, quaſi tranſcendens ſuam regulam, niſi vergat in ſuæ animæ detrimentum.

℄ Paupertas etiam religionis noſtræ eſt maxima; Nam clerici ſeculares poſſunt habere propria peculiaria, ſtatus verò monachorum & aliorum religioſorum, in cōmuni, verum quia in bonis communibus eſt periculum, ſicut in proprijs, ideo ille ſtatus eſt ſincerior, & a periculis diuitiarum remotior, qui nullam habet affluentiam propriam, vel communem, mobilem, vel immobilem; vt non ſit ei ex diuitijs materia ſuperbiendi, occaſio laſciuiendi, aut auaritiæ incentiuum, vt eſt ordo noſter, vel eiuſdem ordinis fratres; qui vt Chriſti ſerui, & ſeruiles pro Chriſto effecti, qui pro nobis formam ſerui accepit, in domibus viuunt alienis, illum imitantes, qui nullum habuit titulum domicilij, vbi caput ſuum reclinaret, nam & Chriſtus alieno veſcebatur alimento; vt dicit Hieronymus ad Nepotianum Vnde Greg. 9. dicit, Dicimus, quòd nec in communi, nec in ſpeciali debent proprietatem habere, ſed vtenſilium & librorum & ipſorum mobilium (quæ licet ordini habere) vſum habeant.

℄ Non minus dictus ordo eſt in caſtitate ſublimior, cuius obſeruantia, & ſi in omnibus religioſis, & clericis infra ſacros exiſtentibus, eſt poſita, tamen altior diſciplina, iſti ordini eſt impoſita, quam alicui eorum, cum hic non modo factum inboneſtum præceptoriè interdicatur fratribus, ſed etiam omne ſuſpectum conſortium.

De uenientibus ad recipiendum vitam iſtam, de informatione nouitiorum profeſſis, & eorum uoto ſolenni, de clericis ordinandis; de Laicis, Apoſtatis & eorum ſtatutis pœnalibus; & de uilitate & forma indumentorum. Cap. II.

IN primis ſtatuimus quòd qui venientem ad ordinem debet in fratrem recipere, diligenter & ſolicitè attendat

dat (vt docet regula) quòd recipiendus ſit fidelis, & catholicus, de nullo errore ſuſpectus, matrimonio non ligatus, corpore ſanus, animo promptus, legitimè natus, debitis expeditus, conditione liber, ætatis ad minus ſextidecimi anni completi, nulla vulgari infamia maculatus, competenter literatus, ſi pro clerico recipitur, uel ſi pro laico, ad labores vtiles & honeſtos fratribus, aptus, aut talis conditionis exiſtens, quòd eius receptio, clero & populo, non modicam afferat ædificationem. Si quis autem aliter receptus fuerit; non admittatur ad profeſſionem ſine generalium vel prouintialium prælatorum licentia ſpetiali. Recipiendus qualis debeat eſſe.

Auctoritas etiam, eoſdem ad ordinem venientes, recipiendi, penes dumtaxat dictos prælatos ordinaria remaneat, nec paſſim eam alicui delegent; ſed tantum alicui probatiſſimo, & de religione noſtra optimè merito patre, & pro certo, & determinato numero, & dictos venientes ad ordinem præfati recipientes, fidelibus conſilijs fulciant, vt non niſi idoneos & ſupradictis conditionibus ornatos, recipiant, aliter receptio ſit nulla. Generalis tamen miniſter iuxta declarationem Nicolai tertij poſſit, recipiendi ad ordinem auctoritatem, prouintialibus miniſtris arctare, & reſtringere. Recipere ad quem ſpectet.

¶ *Siquis autem talium ad præfatos prælatos venientiũ, aut infectus lepra, morbo gallico, vel caduco, aut alia contagioſa infirmitate receptus fuerit, & interrogatus in ſua receptione, idipſum celauerit, eius receptio & profeſſio irrita ſit, & inanis.* Morbo contagioſo infectus recipi non debet.

¶ *Idem fiat de apoſtatis noſtris, qui ad nos reuertuntur, quòd videlicet omnino expellantur, ſi inueniantur aliqua ſupradictarum infirmitatum infecti.*

¶ *Et nullus prælatus ſub pœna priuationis ſui officij, audeat aliquem cõtra præſentem conſtitutionem recipere.*

¶ *Item nullus conuentualis nobiſcum incorporetur, niſi per annum probatus fuerit (demptis doctoribus, et notabilibus perſonis) Nec aliquis de ipſis, aut alterius ordinis ad* Conuentualis prius probetur quã recipiatur.

nos

nos veniens recipiatur (vt iura decernunt) niſi prius petita licentia, licet non obtenta.

Religioſus alterius ordinis quomodo recipi poſſit.

¶ Aduerte tamen quòd nonnullæ religiones habent priuilegia apoſtolica, quibus ſuis interdicitur fratribus, ne a nobis in fratres recipiantur noſtros, niſi adhoc habuerint licentiam in ſcriptis ſuorum prælatorum, ideo quando veniunt ad nos alterius ordinis fratres, prius conſulantur prælati eorum, & ſi inueniant eos tali auctoritate apoſtolica munitos, non recipiant, niſi oſtenderint licentiam in ſcriptis dictorum ſuorum prælatorum. Expediret etiam habere ab eiſdem ſuis prælatis teſtimonium ſuæ bonæ conuerſationis, antequam in noſtros reciperentur, quòd ſi ſecus factum fuerit huiuſmodi receptio irrita ſit & inanis.

Bonifacius papa octauus concedit facultatem noſtris fratribus, abſoluendi ad nos venientes à multis cenſuris, ſub infraſcriptis verbis.

Abſoluere à quibus poſſit prælatus noſtrum ordinẽ ingredientem.

Volentibus veſtro aggregari conſortio, qui ſuſpenſionis, aut interdicti, vel excommunicationis ſententiis à iure vel à iudice generaliter ſunt ligati, abſolutionis beneficium (obſeruata forma canonica) impartiri, ipſosq; in fratres recipere, ac eos ſi poſt aſſumptum habitum, uel profeſſionem emiſſam, recoluerint ſe talibus in ſeculo fuiſſe ſententijs innodatos, ſecundum formam ipſam; vos generalis & prouintiales miniſtri, & vices veſtras gerentes valeatis abſoluere, & cum eis in irregularitatibus diſpenſare, ſi talibus forſan fuerint innodati ſententijs, vel in locis interdicto ſuppoſitis, diuina præſumpſiſſent officia celebrare, vel ordines recipere (bigamiæ, homicidij voluntarij, et mutilationis membri caſibus, dumtaxat ſecundum Eugenium quartum exceptis) ita tamen, quòd ſi aliqui ex eiſdem, huiuſmodi ſententijs propter deb[illegible]um ſunt aſtricti, eiſdem ſatisfaciant, prout tenentur. Volumus nihilominus, quòd volentes, huiuſmodi veſtro aggregari conſortio, niſi mox poſtquam fuerint abſoluti ordinem veſtrum intrauerint, eo ipſo in priſtinas ſententias, à quibus eos

abſolui

abſolui contigerit, relabantur.

¶ Circa nouitiorum noſtrorum informationem, ſtatuimus, et mandamus inuiolabiliter obſeruandum, quòd quilibet prouintialis miniſter, ſub pœnis per generalem miniſtrum, de conſilio aliquorum patrum taxandis, annuatim in tabula prouintialis capituli, de conſilio diffinitorum, certos conuentus in ſua prouintia deputet, in quibus omnes nouitij eiuſdem prouintiæ debeant commorari, & in quolibet iſtorum conuentuum, magiſtrum nouitiorum, aſſignet, uirum in eadem religione probatum, maturum, prouidum, deuotum & diſcretum, qui huiuſmodi nouitiorum continuam curam gerat, viam Dei, ipſos doceat, & ſæpe eos purè confiteri faciat, & ad ſeruandam cordis & corporis puritatem informet, mores, & obſeruantias eiuſdem religionis, eis, verbo & exemplo demonſtret, huiuſmodi autem nouitij ſuæ probationis tempore, ſtudio ſcholaſtico non intendant, ſed diuinum adiſcentes officium, ac omnia ſuo ſtatui conuenientia, ſtudio orationis & deuotionis vigilanter inſiſtant, nec ordines ſacros ſuſcipiant, nec confeßiones audiant, ſi fuerint ſacerdotes, nec portam conuentus exeant, niſi cauſa translationis, vel generalis proceßionis, vel alia iuſta ſeu rationabili cauſa, per guardianum & magiſtrum iudicanda, nec loquantur cum aliqua perſona ſeculari, aut religioſo alterius ordinis, & congregationis, niſi ſuo præſente magiſtro, vel alio per ipſum, aut à Guardiano deputando, dum verò nouitij extiterint, nullo modo aliorum fratrum, præterquam ſuorum magiſtrorum, & prælatorum, cœllas ingrediantur, neque alij fratres, econuerſo, cœllas nouitiorum, & iuuenum intrare præſumant.

Cõuentus pro nouitiorum educatione inſtituantur.

Magiſtri nouitiorum cura.

Nouitiorum norma.

Caueant autem guardiani, & ipſorum nouitiorum magiſtri, ac fratres alij, ne quem conſtitutum infra annum probationis, aliquatenus impedire præſumant ſub pœna priuationis ſuorum officiorum, quominus, vel ad aliam religionem, quam maluerit, tranſeat, vel omnino ad ſeculum

Nouitij ſuæ libertati relinquantur.

culum reuertatur, ſicut de ſua proceſſerit voluntate. Nec cogantur ſibiipſis nouitij de veſtimentis in ſuo ingreſſu prouidere. Magiſtri verò non mittantur (dum actu habent nouitiorum curam) extra conuentum vel locum, aut alias, ſic occupentur, quominus vtiliter & ſalubriter, curæ intendere valeant prælibatæ.

¶ Si autem fratres ad huiuſmodi magiſterium deputati, ipſum pertinaciter recipere recuſauerint puniantur pœna, qua fratres inobedientes debent, ſecundum ipſius ordinis ſtatuta, puniri.

¶ Nec volumus quòd miniſtri, aut guardiani ſub pœna priuationis ſuorum officiorum, aliquid diſponant, de rebus eis, aut legatis aut donatis ab ipſis nouitijs, vel ante receptionem, vel poſt, ſed in emittendo profeſſionem, aut ab ordine ante emiſſam recedendo (ſi perſeuerauerint in eadem voluntate libera) quòd aliquid ſuorum bonorum ſit fratrum, aut conuentuum, tunc poſſint, per ordinarios procuratores, dicta donata vel legata in fratrum & locorum vtilitatem conuertere, & non primò, eſto quòd (vt præfertur) ante profeſſionem donauerint vel legauerint, & hoc ad euitanda multa ſcandala, quæ alias orta ſunt, propter dictas donationes, etiam ante receptionem habitus nouitiorum factas, cum ſæpe contingat, quòd nouitij, vel expellantur, vel ſponte recedant ab ordine & repetant elargita. Hoc etiam ſtatutum multum arridet declarationi Clementis quinti qui in Clementina exiui de paradyſo. §. nos autem dicit. Nos autem conſiderantes attentè, intendiſſe ſanctum Franciſcum ſuæ regulæ profeſſores, quos fundauerat in maxima paupertate, ab affectu temporalium rerum ipſorum ingredientium, per dicta verba ſcilicet (ne fratres vel miniſtri ſoliciti ſint de rebus ſuis temporalibus, vt liberè faciant de rebus ſuis quicquid dominus inſpirauerit eis) ſpecialiter & totaliter elongare, vt quantum eſt, ex parte fratrum, ipſorum receptio ad ordinem, ſancta & puriſſima appareret, & ne aliquo mo-

Donata etiam per nouitios conſeruentur uſque ad profeſſionem pro eis.

do oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, ſed ad ipſos tantum, diuino ſeruitio mancipandos, dicimus omnino debere, tam miniſtros, quàm fratres cæteros, à dictis inductionibus ad ſibi dandum, & ſuaſionibus, nec non & a dandis circa diſtributionem conſilijs abſtinere, cùm per hoc ad timentes Deum ſtatus alteriùs, mitti debeant, non ad fratres, vt verè cunctis pateat eos eſſe tam ſalubris inſtituti paterni, ſtudioſos, Zelatores ſedulos, & perfectos. Non videtur tamen quin liceat eis, recipere, conſideratis (ſcilicet) eorum neceſſitatibus, & moderationibus, Nicolai tertij declarationis, ſi quid de bonis ſuis intrans, ſicut & cæteris pauperibus per modum eleemoſynæ liberè velit dare.

¶ Propter tamen (vt dictum eſt) exorta in pluribus locis ſcandala, decernimus, vt non alienentur liberè elargita, niſi peracta profeſſione, & vſque ad tempus illud, volumus quòd ſi religionem egredi vellent, quòd poſſint ea repetere, & fratres miniſtri, vel guardiani, integrè ea conſignare illis teneantur.

¶ Completo verò anno probationis, ſi nouitij à fratribus, cum quibus fuerint conuerſati, laudabile habeant teſtimonium, de generalis, vel prouintialis ſui miniſtri licentia, recipi poſſint ad profeſſionem, quam quilibet nouitius, in manibus prælati faciat in hunc modum.

¶ Ego frater N. voueo, & promitto Deo, & beatæ Mariæ virgini, & beato Franciſco, & omnibus ſanctis, & tibi patri, toto tempore vitæ meæ, ſeruare regulam fratrum minorum, per Dominum Honorium papam confirmatam, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Et qui eum recipit, promittat ei vitam æternam, dicens, Si hæc obſeruaueris ego promitto tibi vitam æternam, in nomine patris, & filij, & ſpiritusſancti, Amen. Fratrum tamen profeſſiones & ætas profitentium iuridicè et manu profitentis conſcribantur, et in arca conuentus cõcludantur. Forma profeſſionis.

¶ Si quæratur quale ſit hoc votum emiſſum, an ſim-

 plex,

plex, an ſolenne, & quare dicatur tale.

Votum multiplex.

℄ *Reſpondeo, quòd duplex eſt votum, ſcilicet, ſimplex, & ſolenne, & quodlibet iſtorum poſſet eſſe, publicum, vel priuatum. Dicitur autem ſolenne, non quia publicum, ſed quia in ſe habet annexum aliquid, vnde veniat, vel venire poſſit in publicum, Solenniꝫatur autem votum per ſuſceptionem ordinis ſacri, vt patet, diſt. 28. c. Diaconi, per quod, ordinem ſuſcipiens conſtituitur miniſter eccleſiæ, Deo publicè ſeruiendo, & ponitur quis, aliter quam prius, ſub alterius hominis poteſtate, & ſub ſui Epiſcopi iuriſdictione, vnde tale votum eſſet ſolenne, etiam ſi prædictum ordinem ab epiſcopo ſuſciperet in ſecreto. Profeſſio etiam in religione approbata facta in manu eius, qui poteſt eam recipere, in ſe habet aliquid annexum, quo in publicum debet venire, & ſic talis profeſſio ſolenniꝫat votum, quia talem oportet, vitam ſecularem relinquere, & in clauſtro cum alijs ſui ordinis conuerſari, per Ricardum, 38. tertij & extra de Regularibus, & tranſeuntibus ad religionem, c. ſtatuimus.*

Votum ſolenne quid.

℄ *Ad hunc modum, reducuntur alij duo modi, quibus præſumitur profeſſio interpretata.*

℄ *Primus, per ſuſceptionem habitus religionis, qui ſolet dari profeſſis, præcipuè quando eſt diſtinctus habitus profeſſorum, ab habitu nouitiorum, vt habetur in eodem. c. ſtatuimus. Secundò quando quis vltra annum perſeuerat in religione, in qua ſolet profeſſio fieri, completo anno probationis, & non proteſtatur de non profitendo. Omnes quatuor modi ſupradicti pro ſolenni voto habentur. Omne verò aliud votum, quod non eſt ſolenniꝫatum aliquo prædictorum modorum, ſiue ſit priuatum, ſiue publicum, dicitur votum ſimplex, ex quibus omnibus patet, quòd ſupradictum votum, quod emittimus in noſtra præfata profeſſione, eſt ſolenne.*

Votũ ſimplex quid eſt.

Profeſſio fiat in publico.

℄ *Receptio autem nouitij ad profeſſionem fiat in capitulo locali, vel alibi coram fratribus congregatis, vt poſ-*

ſint

ſint ſemper reddere teſtimonium, de ſua prædicta profeſſione. Huiuſmodi autem nouitij ſint ante profeſſionem expropriati omnino, & nihil pro ſe in teſtamento, vel alias faciant reſeruari. Si autem alicuius nouitij fuerit dubia profeſſio apud fratres, vt potè, quando tertia pars Fratrum conuentus, conuerſationem nouitij habet ſuſpectam, eius ad profeſſionem receptio, prouintiali miniſtro, penitus reſeruetur.

ℭ *Nullus nouitius pro clerico ad profeſſionem recipiatur, niſi totum diuinum officium ſciat per ſe ipſum dicere, ſi quis guardianus aliquem contra dictum ſtatutum recipere ad profeſſionem præſumpſerit, puniatur grauiter per miniſtrum.*

Profitendus diuini officij nō ſit ignarus.

ℭ *Nullus frater pro laico profeſſus, ad clericatum aſcendat, ſine generalis capituli expreſſa licentia. Et ſi quis intra, vel extra ordinem, quouiſmodo fuerit ad clericatum, ſeu ſacerdotium promotus, omni honore clericali, & ſacerdotali priuetur, nec permittatur canonicum, ſed laicale (iuxta ſtatuta apoſtolica) perſoluere officium, & ad merum laicalem ſtatum reducatur.*

Laicus profeſſus qualiter ad clericatum poſſit admitti.

ℭ *Nullus profeſſus clericus promoueatur ad ſacros ordines niſi per miniſtros, & niſi prius per biennium ſteterit in religione.*

Profeſſus niſi poſt biennium ſacris initietur

ℭ *Ad ſacerdotium verò, nullus promoueatur antequam 25. annum ætatis ſuæ attigerit, & ſextum ad minus annum compleuerit in religione.*

Sacerdos. 25. attingat annum.

ℭ *Sequitur*. Et nullo modo licebit eis de iſta religione exire &c.

ℭ *Volentes apoſtatis viam præcludere, in his ſcriptis excommunicamus omnes fratres ab ordine apoſtantes, & ex decreto præſentis ſtatuti, anathematis vinculo (auctoritate apoſtolica ſuper hoc nobis conceſſa) innodamus.*

ℭ *Intelligimus autē apoſtatantem omnem, qui ſine licentia, vel contra obediētiam ſuperiorum ſuorum per terras, loca, ſeu patrias, cum habitu & ſocio, vel ſine vtroq;*

Apoſtata quis ſit.

ierit, vel vagabundus diſcurrerit, ac generaliter, abſque eiuſdem ordinis licentia, quomodolibet à conuentibus diſcedens, qui etiam vltra hoc, carceri, per tempus taxandum, iuxta menſuram delicti, & apoſtaſiæ, per miniſtrum, mancipetur.

Apoſtatæ non recipiantur in alienis prouintijs.

Item ſiquis, inſtigante inimico, apoſtata ab ordine receſſerit, nullus miniſter in ſua prouintia, aut guardianus in loco ſuo recipere, & apud ſe retinere poſſit, quinimo eos ab apoſtaſia abſoluant, et per triduum in carcerem conijciant, & poſtea cum literis teſtimonialibus ad prouintias proprias aut loca, remittere debeant. Siquis autem prælatus contrarium fecerit, in ſequenti prouintiali capitulo, officio ſuo, omnino priuari debeat, & cui hæc pœna, non competit, vt ſi iam ſuo functus fuerit officio, alia condigna ad arbitrium generalium plectatur, pœna.

Apoſtatæ ad ſuas remittantur prouincias

¶ Et ſub eadem pœna prælatis localibus & prouintialibus præcipitur, ne præfatos apoſtatas alterius prouintiæ, aut loci, eundi ad præſentiam generalium, ſeu ad Romanam Curiam, aut ad quemcunque alium locum, præterquã ad propriam prouintiam, ſeu locum impendere præſumãt.

Apoſtatæ puniuntur communiter pro apoſtaſia tantũ.

Et notandum, quòd ſi præfati apoſtatæ ad generales prælatos, vel Curiæ Romanæ officiales recurrere contigerit, & ab eis puniri, pœna illa pro apoſtaſia dumtaxat, & non pro alijs defectibus per eos commiſſis, inflicta intelligatur, pro quibus alijs defectibus, ad proprios prælatos, qui cauſam eorum plenè norunt, puniendi remittantur, niſi fortè per generales miniſtrum, et commiſſarium, particulares defectus, pro quibus ab eis ex cauſa rationabili, puniti fuerint, particulariter exprimantur.

Apoſtatæ per triennium voce actiua & paſſiua priuentur.

¶ Et decernimus ad præcludendam viam dictis apoſtatis, quòd vltra pœnam carceris, maneant per triennium voce actiua & paſſiua priuati.

Item, ut omnis apoſtaſia è medio tollatur, præcipitur, quòd nullus frater deinceps cuiuſcunque gradus ſeu conditionis exiſtat, prætextu cuiuſcunque obedientiæ, ſeu licentiæ

centiæ à ſuperioribus prælatis obtentæ, limites ſuæ prouintiæ, aut conuentus egredi audeat, quin prius ſuo prouintiali prælato, humiliter ſe repreſentet, eiq; ſuam obedientiam, vel licentiam oſtendat, & deinde, habita ab eo benedictione recedat. Si autem dictum prælatum in remotis agere contigerit, ita quòd eius præſentia de facili haberi nequeat, & negotium pro cuius expeditione, iter facturus eſt, dilationem ad arbitrium ſui localis prælati, non patiatur, tunc per literas ſuas, eidem prouintiali prælato receſſum ſuum inſinuare teneatur, & ultra hoc ſuo locali prælato, obedientiam aut licentiam oſtendere debeat; quòd ſi ſecus fecerit, talis obedientia ſeu licentia ei minimè ſuffragetur, quin potius habeatur pro apoſtata, & apoſtaſiæ pœna plectatur; & ut omnis fraus de medio auferatur, præſentatio huiuſmodi, ac literarum oſtenſio coram legitimis teſtibus fiat. Poſtquam autem redierit, ab executione ſuarum præfatarum obedientiarum, ſiue à Generalibus, ſiue à prouincialibus impetratarum, ſuis præfatis prouintialibus reditum ad ſuam prouinciam, & locum, quàm primum per literas ſaltem, ſignificare teneatur.

Obedientia non exequatur niſi prius prælato ſuo manifeſtetur.

Nullus etiam localis prælatus extra ſuam quaſtam, & territorium valeat ſuos mittere fratres, niſi legitima & neceſſaria cauſa ſubſit, & de conſilio patrum diſcretorum illius conuentus, ſi autem dicti locales prælati, & diſcreti, nimis propenſi & faciles in hoc inuenti fuerint, auctoritate mittendi omnino priuari debeant.

Quod guardiani ſine cauſa non mittant ſuos fratres extra quæſtam.

Item, ordinatur, quòd fratres, qui à ſuperioribus ſuis, peragrandi vel aliò ſe transferendi licentiam obtinuerint, (non intelligimus de comiſſionibus aut obedientijs prælatorum, quas pro bono ordinis, proprio iudicio, & ex libera voluntate ſua, mittunt ad fratres, quia eas tempore commodo, vel eis præfixo, etiam elapſo ſpatio duorum menſium, exequi poterunt) eas infra duorum menſium ſpatium executioni debitæ demandare teneantur, aliter eodem elapſo termino, ſint irritæ & nullius valoris. Sunt enim nonnulli,

Licentia infra duos menſes exequatur.

nonnulli, qui ſimiles licentias per totum annum penes ſe tenent, & ſi prælatus localis, aut prouincialis, ob demerita dicti fratris, voluerit in eum animaduertere, aut ei iniungere aliquam obedientiam ſibi ingratam, ſtatim dictam licentiam exequitur.

Quare conſulimus præſenti ſtatuto prælatis omnibus, vt non paßim ſimiles licentias concedant, ſed tantum legitima, & neceſſaria ſubſiſtente cauſa, cum ex inutilibus fratrum diſcurſibus mille incommoda, & fratri diſcurrenti, & ordini proueniant.

Guardiani videant obediencias hoſpitum.

Statuitur etiam, (vt prælati poßint habere notitiam apoſtatarum & fratrum per obedientiam diſcurrentium) quòd hoſpites, ac tranſeuntes fratres, cum declinant ad loca noſtra, ſaltem poſt primam refectionem, teneantur obedientias ſuas, aut teſtimoniales literas, oſtendere guardianis, vel eorum vicarijs aut præſidentibus in eorum abſentia, quòd ſi non fecerint, teneantur ipſi prælati huiuſmodi ſuas obedientias aut teſtimoniales literas ab eiſdem exigere, contrafacientes verò in ſequenti refectione teneantur facere diſciplinam.

Reuertentes a clauſtralibus, & caputiatis, quomodo recipi debeant.

Declaratur etiam ex auctoritate apoſtolica, quòd prælati noſtri generales vel prouintiales, de conſenſu aliquorum patrum, poßint licentiare fratres petentes ad conuentuales noſtros, licentiati autem ad noſtram obſeruantiam amplius non admittantur, niſi cum pœna portandi probationis caputium per quatuor menſes. Fratres autem noſtri, qui ad caputiatos ſine prælatorum ordinis licentia in ſcriptis habita, poſthac tranſibunt, aut poſt generalia comitia ſalmanticæ celebrata tranſierunt, non recipiantur ſine generalis miniſtri licentia, & pœnitentia per eundem iniungenda.

Incorporatio qualiter fiat.

Nullus frater incorporetur ſub pœna carceris in aliena prouintia, ſine vtriuſque miniſtri, videlicet prouintiæ propriæ, ex qua receßit, & illius ad quam accedit, aut generalium prælatorum licentia, & qui ex leuitate voluerit,

poſtquam

poſtquam fuerit incorporatus, ad priorem ſuam reuerti, non recipiatur, niſi per bimeſtre portet probationis caputium, ſecus eſſet quando generalis miniſter, aut commiſſarius, pro aliquo ordinis commodo, aut præfatæ prouintiæ, ad eam, ipſos per obedientiam deſtinarent, cauſa, in eadem manendi, et ſeruiendi, maximè ſi eiuſdem prouintiæ patres ad id faciendum induxerint præfatos generales prælatos.

℄ *Sequitur in regula*, (Et illi, qui iam promiſerunt obedientiam habeant vnã tunicam cum caputio) &c. *Super quo paſſu diuerſi pontifices, declarant, ſecundum ſententiam quatuor magiſtrorum, quòd miniſtri & prælati poſſunt plures concedere, cum viderint neceſſarium, ſecundum loca & tempora, & frigidas regiones, poterunt etiam fratres mantellos de panno vili, & humili habere non rugatos circa collum, vel criſpos, neque vſq; ad terrã, ſaltem per palmum integrum protenſos. Et in forma ſeruetur modus antiquus omni curioſitate penitus abdicata.*

Prælati poſsũt concedere plures tunicas.

℄ *Fratres nunquàm dormiant ſine habitu, femoralibus, et corda, contrafacientes ſequenti prandio coram fratribus in terra comedere teneantur, eadem pœna plectatur frater ille profeſſus, qui diſſutum portauerit caputium.*

Pęna deferentium camiſias.

℄ *Et ſi quiſpiam camiſiam lineam, vel de bombice, aut cotono portauerit, in proxima futura refectione, coram communitate in terra habens coram ſe camiſiam pro mantili comedat, ſi verò relapſus fuerit in aliquo præmiſſorum, voce actiua, & paſſiua, ipſo facto per annum integrum ſit priuatus,*

℄ *Eadem pœna plectatur frater ille, qui ſine neceſſitate expreſſa & licentia, portat pecias albas, crepidas, calciamenta, & calligas vſq; ad genua, & licentia, concedatur, vel denegetur a prouintiali miniſtro, vel guardiano, cum conſilio diſcretorum, habeantur tamen calciamenta ſiue crepidæ in ſacriſtia, pro celebrandis miſsis, vel ſacris faciendis. Cingulum habeatur de corda communi rudi. Et omnis curioſitas ab ea penitus reſcindatur.*

℄ *Frater*

Veſtimenta fratrum qualia

℄ Frater qui portauerit ora habitus, manicharum, caputij, aut fimbriarum, cum filo albo (vt dicunt) repuncto artificioſè confecta, velut ſenſualis vel minus ſui inſtituti obſeruator, per prouintiales miniſtros, vel guardianos acriter puniatur.

℄ Qua etiam pœna puniantur abbatiſſæ quæ permiſerint, quòd ſorores ſuæ talia reponcta faciant.

℄ Cæterum cum regula dicat, quòd fratres omnes veſtimentis vilibus induantur.

℄ Ordinamus, & ſtatuimus, quòd veſtimentorum Vilitas attendatur in pretio pariter & colore, in quibus ſemper reluceat aſperitas, vilitas, & paupertas, & vt ignorantia nemini ſit occaſio delinquendi,

℄ Ordinamus, quòd omnes fratres veſtimentis talibus induantur, quòd non ſint adeo pretioſa, vt videntes eos de curioſitate notare debeant, nec ita vilia, & groſſa, quòd ipſa videntes in horrorem inducant, & prouocent ad riſum, & ſuper hoc pontifices in ſuis declarationibus, aggrauant conſcientias prælatorum, quorum iuditio volunt quòd ſtetur in præfatis. Sed quia nondum (vt audiuimus) ceſſat temeritas, ſeu præſumptio aliquorum fratrum, habitus, & veſtes ſingulares, & deformes portantium, volentes eoſdem, per pœnæ additionem, à temeritate, & præſumptione huiuſmodi, ad communis ordinis obſeruantiam reuocare, Auctoritate Benedicti 12. ſtatuimus, quòd ſiqui eiuſdem ordinis profeſſores, contra arbitrium, declarationem, ſeu iudicium miniſtrorum, vel guardianorum, in ordine ipſo præſidentium, habitus, & ipſorum habituum caputia, ſeu veſtes deformes, & veſtibus aliorum fratrum, communitatem ordinis tenentium diſſimiles, portare, aut quòd fratres ordinis, talibus vti deformitatibus teneantur, pertinaciter aſſerere præſumpſerint, niſi in 15. dierum ſpatio, poſtquam præſens noſtra ordinatio ad eos peruenerit, à talibus inſolentijs, & inobedientijs deſtiterint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant,

Veſtimenta ſint vniformia.

currant, à qua per Generalem, ſeu prouintiales in ſuis prouintijs (digna dumtaxat ſatisfactione præmiſſa) poſſint abſolui.

¶ *Ad maiorem autem conformitatem inter nos ſeruandam, ordinamus, vt latitudo caputij noſtri habitus, non tranſeat a lateribus conum iunctura humerorum, & quòd longitudo illius caputij a parte poſteriori, cingulum non excedat, longitudo vero habitus, talis ſit, quod fratris illum deferentis, nullo modo excedat menſuram, latitudo vltra menſuram. 18. palmorum non protendatur, nec minus quàm 15. palmos habeat, longitudo autem manicharum cooperiat extremam iuncturam manuum, nec vltra protendatur; & earum latitudo ſit diſcreta, pannus vero habituum ſit coloris cinerei.* Habitus, & caputij latitudo.

¶ *Tonſuram etiam deſuper aures, tam clerici, quam laici, ſibi fieri procurent, & de quindena in quindenam ſemper redantur.* Fratres radantur de quindena in quindenam.

De diuino officio, modoq; illud perſoluendi, & quomodo omnes ad illud accedere debeant, de mentali oratione, ſilentio, & quòd omnes teneantur communitatem in quibuſcunque ſeruare, & ſine neceſſitate & licentia non equitent. Cap. III.

S*Tatuimus, & ordinamus, quòd ante miſſarum, & horarum principia, fratres omnes, quos cauſa rationabilis non excuſat, ad chorum conueniant, præparaturi domino corda ſua, ibiq; ſine diſcurſu, murmure, riſu, & abſq; vanis & vagis aſpectibus, ſub ſilentio, in pace, & cum debita grauitate permaneant, cantent & orent ſimul, & vſque in finem vnanimiter perſeuerent. Hortamurq; in domino, vt diuinas laudes, integrè, attentè, honeſtè, & religiosè perſoluant, geſtus leues, & cantus diſſolutos, ſeu fractos, omnino declinent, tractim pſallant, debito more incepta, quæ ſimul cantanda fuerint, ſimul continuent, ſimulq; pauſent, & qui in his defectuoſi fuerint, grauiter puniantur per guardianos, & ſi guardiani in hoc*

delinquentes fuerint, per miniſtrũ, ſuis priuentur officiis.

Pœna non conuenientium ad chorum.

℄ *Quicunque frater non legitimè impeditus, aut per obedientiam, aut per infirmitatem, niſi fuerit generalis lector, aut actualiter in prædicatione occupatus, non interfuerit omnibus horis, teneatur dicere, & recognoſcere culpam ſuam. Et pro prima vice, ſi non interfuerit matutino, et alijs horis, dicat quinq; pater noſter, & totidem aue Maria, & pro ſecunda dimittat pictantiam: & qui fuerit defectuoſus in hoc, & ſolitus, pro qualibet vice faciat diſciplinam.*

℄ *Et ſi guardiani in exigendis dictis pœnis fuerint negligentes, eiſdem pœnis ſubiaceant.*

℄ *Nec volumus quòd aliquis à choro tempore quo diuinum perſoluitur officium recedat, ſine expreſſa præſidentis chori licentia, ſub pœna per guardianum taxanda. Sileatur autem ſemper in choro, in dormitorio, in eccleſia a principio chori, & ſupra, in refectorio, tam in prima quàm in ſecunda menſa, & hoc non ſolum à reſidentibus, ſed etiam à forenſibus obſeruetur.*

℄ *Ne etiam feruor deuotionis per inquietitudinem multiloquij extinguatur, ſtatuimus, quòd ſilentium à ſigno ſalutationis angelicæ in ſero, vſque ad pulſationem primæ horæ diei ſequentis, ab omnibus obſeruetur, exceptis hoſpitibus de nouo uenientibus, & eis miniſtrantibus de licentia guardiani.*

Silentium quãdo & quomodo tenendum.

℄ *Similiter hora dormitionis, a feſto Reſurrectionis domini, vſq; ad feſtum exaltationis ſanctæ crucis, qualibet die poſt ſecundam menſam pulſetur campanella refectorij, & ex tunc ſileatur vſque ad nonam.*

℄ *In diebus ieiuniorum ſimili modo a pulſata campanella, poſt ſecundam menſam ſilentium obſeruetur, donec per ſacriſtam fiat ſignum ad ſurgendum à ſomno, liceat tamen fratribus, quod neceſſe eſt, loqui breuiter, & ſubmiſſè.*

℄ *Si quis autem ſilentium fregerit, debeat dicere culpam ſuam coram fratribus in communitate, prout ſe in hoc deli-*

deliquiſſe meminerit exprimendo, cui à Guardiano, pœna ſecundum exigentiam culpæ imponatur.

¶ *Mandamus quoque, ut fratres aſſueſcant vbique religioſè, & ſine clamore loqui, maximè in dormitorio, ſacriſtia, refectorio, & choro.*

¶ *Nec poſſit aliquis frater ſine licentia ſuperiorum ſtare, ſiue eſſe, cum alio fratre, vel ſeculari iuuene, in aliqua cœlla vel camera, clauſo oſtio. Oſtium verò clauſum dicimus, quando ab extra liberè ingredi non poteſt, contrafacientes in pane & aqua coram fratribus, ieiuniare teneantur.* Fratres quõ ſe habere debent in Cella.

¶ *Nec bireta in capite in loco communi & patenti deferant, cum hoc maximè perhorreret beatus pater noſter Franciſcus.*

¶ *Quo ad ieiunium, quod in hoc capite præcipitur, Ordinamus, vt ſingulis diebus ieiuniorum, ſiue ab eccleſia, ſiue regula indictorum, fratres nullo modo, ſub pœna probationis caputij, comedant lacticinia, oua, caſeum, & ſimilia, & guardiani, qui dederint talia, in talibus diebus, ſuis priuentur officijs, procurabunt tamen dicti guardiani omnibus modis ſibi poſſibilibus, vt tempore ieiuniorum, neceſſaria dent ſuis fratribus, ne ex talium defectu, inde ſumant occaſionem frangendi ieiunium. In quadrageſima, quæ incipit ab epiphania, quam vocamus benedictam, nullo modo compellantur fratres ieiunare, cum hoc diametraliter repugnet regulæ, prouideatur tamen fratribus, qui voluerint eam ieiunare.* Ieiunium qualiter ſeruandũ.

¶ *Ordinamus quòd miniſtri, guardiani, & eorum vicarij, ſint cum fratribus in communitate, in eccleſia, in menſa, & in cibis, veſtibus, ſtratis, & alijs, fratribus ſe conforment.* Communitas ſeruanda.

¶ *Et quòd dicti guardiani diligenter caueant, ne ſine pia, & rationabili cauſa, dent fratribus, extra communitatem licentiam comedendi, & ſi in hoc fuerint delinquentes grauiter puniantur.*

℄ Caueant fratres, ne veſtes extraneas, religioſas vel ſeculares, aut clericales, etiam ſub ſpecie deuotionis induant, nec habitus aut veſtes ordinis, ſecularibus, pro ludis, aut ſimilibus faciendis, vllo modo accomodent, ſub pœna amotionis confuſibiliter ex conuentu.

Pœna ſine licentia equitantium.

℄ *Sequitur.* Et non debeant equitare *vbi ſanctus Bonauentura dicit, quòd nec debent bigare, aut quadrigare, niſi manifeſta neceſſitate, prolixi itineris, vel negotij vrgentis, vel infirmitate cogantur, & caueant miniſtri, ne fratres ſuæ curæ commiſſos, ſine præfata manifeſta neceſſitate, prout in regula continetur, equitare, aut calciamenta etiam in itinere portare permittant, & qui in hoc negligentes fuerint in ſequenti capitulo a ſuis officijs amoueri debeant. Qui autem præfata neceſſitate, equitare, aut calciamenta præfata deferre in itinere, aut in infirmitate, coacti fuerint, habeant, ſui prouintialis, aut localis prælati licentiam in ſcriptis, ſuam neceſſitatem declarantem, & contrafacientes, per biennium priuentur voce actiua ſcilicet, & paſſiua, & cui hæc pœna non competit, alia confuſibili, ad arbitrium miniſtri puniatur.*

Frater quamprimum conuentum adeat.

℄ *Strictè etiam præcipimus, quòd nullus frater cuiuſcunq; gradus, ſeu conditionis exiſtat, ad aliquam ciuitatem, vel oppidum, vbi eſt conuentus noſter, accedat, ſine eo quòd prius ſe loci Guardiano, aut eius Vicario, in ſua abſentia, ſe præſentet, neque ſine eius licentia cõmedat, aut dormiat in aliqua ſecularium domo, etiam attinentium, quam licentiam prælatus non concedat, niſi vrgente neceſſitate, & imminente.*

℄ *Neque ad aliquem rectorem, dominum, ſiue magiſtratum, ſub quocunque colore, nec etiam ſub prætextu eleemoſynæ petendæ accedat, niſi præfati loci Guardiano, negotium pro quo accedit prius manifeſtet, & ſi præfatus Guardianus cum diſcretorum conſilio, iudicauerit tale negotium non eſſe in religionis decus, aut vtilitatem, nullo modo ad præfatos Rectorem, Dominum, aut magiſtratum,*

permit-

permittat eis acceſſum,& qui contrafecerit,in eodem loco, coram fratribus in refectorio,vnam faciat diſciplinam.

Pecunia quid ſit,& denarij, qui amici ſpirituales, quid recipere per ſe & per interpoſitam perſonam,de procuratoribus, de modo quo cum illis uti debent guardiani & fratres ut ſecuri ſint in conſcientia, & quomodo ſubditi in dubijs ſtare debent prælatorum iudicio. Cap. IIII.

PRO quo ſciendum eſt, quòd ſecundum expoſitores, & maximè quatuor magiſtros qui non gloſam (ut aiunt) ſed purum intellectum regulæ,ex ipſa littera extraxerunt: Pecunia eſt quicquid recipitur, vt vendatur, vnde libri, & calices, ſi reciperentur hac intentione, ut auctoritate fratrum,& non dantis,vel procuratoris loci venderentur poſtea,inter pecuniam computantur. Intentio enim denariorum eſt, in ſic recipiente, quia quod venditur, denario venditur, nomine verò denariorum ſumitur ipſa pecunia numerata, vel numiſma, vt quatreni, iulij, ſcutata, & ſimilia. Pecunia quid ſit.

¶ *Prohibetur enim fratribus receptio rerum,quarum non poſſunt habere vſum. Si enim ſpecies alicuius rei, vtpotè frumenti,pro ſpecie alterius rei,utpotè vini, datur, commutatio eſt,non emptio.* Denariorũ nomine quid prohibeatur.

¶ *Prohibetur igitur in regula, receptio denariorum,& quarumlibet rerum, quæ accipiuntur ad pretium rerum vendendarum. Dicunt etiam quòd receptio cuiuslibet rei prohibetur fratri minori in proprietatem. Receptio verò rerum aliquarum,conceditur ad vſum, Receptio verò denariorum,vel pecuniarum, & quantum ad proprietatem, & quantùm ad vſum,prohibetur omnino,& per ſe, & per interpoſitam perſonam,*

¶ *Per ſe pecuniam recipere,eſt pecuniam in ſuum uſum conuertendam, recipere, recipere verò per interpoſitam perſonam, eſt ſua auctoritate alium ſubſtituere ad recipiendum pecuniam in vſus proprios conuertendam. Supradicta trahuntur ab euangelio Matth. 10. Nolite poſſi-*

dere aurum, neq; argentum, nec pecuniam. Vbi gloſa dicit, Duo ſunt genera neceſſariorum. Vnum, quo neceſſaria emuntur. Aliud ipſa neceſſaria. Per pecuniam in Zonis intelligitur, vnde illa emuntur. Vnde propriè ipſa pecunia eſt menſura cōmutationis rerum, Actuum. 8. Pecunia tua ſit tecum in perditione. Per peram verò, quod emitur.

℄ Et ſi dicatur, quòd pecunia pro fratribus deputatur. Reſpondetur, quòd li: pro. non dicit proprietatem, cum eorum auctoritate, non deponatur, ſed vtilitatem, nec ſequitur, hoc deputatur pro iſto, ergo eſt iſtius, pro quo deponitur, exemplum in patrefamilias, qui diſpenſatori ſuo pro nutrienda familia tradit pecuniam, licet enim pecunia ſit pro vtilitate familiæ, non tamen eſt familiæ, ſed domini.

℄ Quod etiam pecunia deputata pro fratribus, non ſit fratrum, oſtendunt Grego. & Inno. quia nec eorum auctoritate deponitur, nec eam exigunt nomine depoſiti. Eccleſia tamen Romana, vt volunt Martinus quartus & quintus per ſuos procuratores, retinet, & recipit dominium pecuniæ, & aliorum ſtatui noſtro impertinentium. Et mandat ea commutari in res neceſſarias, & licitas fratribus, retinendo etiam dominium, & proprietatem omnium rerum mobilium & immobilium, quibus fratres vtuntur.

℄ Et licet Ioānes vigeſimus ſecundus in extrauaganti, quæ incipit. Ad conditorem canonum, limitet quæ ſpectant ad eccleſiam Romanam de rebus, noſtris fratribus, conceſſis, qui ſic dicit, Sancimus, quòd in bonis, quæ in poſterum conferentur, vel offerentur, aut alias quomodolibet obuenire fratribus contigerit ſupradictis, vel eorum ordini, exceptis oratorijs, eccleſijs, officinis, habitationibus, vaſis, libris, veſtimentis, diuinis officijs deputatis, & deputandis, quæ ad ipſos obuenient in futurum, propter quod conſtitutionem iſtam extendi volumus, nullum ius, ſeu dominium aliquod, occaſione ordinationis prædictæ, ſeu cuiuslibet alterius, a quocunque prædeceſſorum noſtrorum

rum

rum ſuper hoc ſpecialiter edita, ſancta Romana eccleſiæ acquiratur, ſed quo ad hoc habeant ordinationes huiuſmodi pro non factis. Quibus verbis patet, quòd dicta pecunia ad eccleſiam Romanam non pertinet.

¶ Verum pro ſupradictorum declaratione, & dicti ſtatuti Ioannis vigeſimi ſecundi derogatione, eſt notandum, quòd Martinus quartus conceſsit, generali & prouincialibus miniſtris vniuerſis, quòd poſsint nominare aliquas perſonas, quæ non ſint de dicto ordine, quæ ſic nominatæ habeant circa res concernentes dictos fratres, adminiſtrationem legitimam, & generalem, ac liberam, & decreuit quòd tales perſonæ ſint veri, & legitimi adminiſtratores, Iconomi, Sindici & Actores, qui, res prædictas, & earum pretium, nomine Romanæ eccleſiæ, recipiant, & per eoſdem in prædictorum fratrum vtilitates prout eis ex regula, vel declaratione regulæ licet, conuertant, quando à prædictis miniſtris vel alijs fratribus, de aſſenſu eorundem miniſtrorum fuerint requiſiti. Et generaliter conceſsit, quòd prædictæ perſonæ habeant facultatem procurandi in omnibus cauſis, pro rebus, & locis ad eccleſiam Romanam ſpectantibus, & ipſorum fratrum vſui conceſſis, necnon pro immunitatibus, libertatibus, iuribus, ac priuilegijs eorundem fratrum, & ſuorum conuentuum. Nicolaus 4. fecit ſimilem conceſsionem circa procuratores vel ſindicos. Martinus quoque 5. confirmauit conſtitutiones, quæ vulgariter, nuncupantur Martinianæ, his noſtris inſertæ ferè omnes, quas, quidam legatus à latere præfati Pontificis ordinauerat, in quibus, quo ad procuratores habetur ſequens ſtatutum, videlicet, ſtatuimus & ordinamus, iuxta declarationem Nicolai 4. ac Martini 4. & 5. quòd quilibet conuentus, ſeu locus habeat ſuum procuratorem, Iconomum, Sindicum, & actorem, cui omnis eleemoſyna pecuniaria, & alia, quæ ad pecuniam reduci poſſunt integraliter aſsignentur, qui eaſdem diſpenſare debeat legaliter & fideliter, pro reparatione conuentuum,

Iconomi ſiue procuratoris officium.

& locorum, ac in alias neceſſitates fratrum pro tempore occurrentes, & ſubſtitutus per procuratores, vt puta famulus non poſſit tenere penes ſe de eleemoſynis fratrum vltra duo ſcutata, & ſi aliquis guardianus alibi quam in manu procuratoris vel eius ſubſtituti habere aliquam eleemoſynam fuerit repertus, puniatur pœna proprietarij niſi id de ſcitu fiat dicti procuratoris.

Vendere quippiam non præſumat prælatus localis, niſi procuratore præſente.

¶ *Nullus etiam prælatus localis, quippiam conuentus ſine procuratore prædicto vendere præſumat, & qui contrarium fecerit, vt proprietarius carceri mancipetur.*

¶ *Dictus etiam Martinus, litteras Martini.4 approbauit & fulminauit, illas inſerendo de verbo ad verbum, & conceſſit miniſtris & cuſtodibus, ac alijs fratribus minoribus, quòd litteris prædictis, ac omnibus in eis contentis, liberè, & licitè, vti valeant, tandiu & quouſque per ſedem Apoſtolicam aliud in præmiſſis, eidem ordini vtilius fuerit ordinatum. Non obſtante conſtitutione Ioannis. 22. quæ incipit. Ad conditorem, per quam prædictis fratribus, ne litteris, & conceſſione præfatis, ſine ſpecialis ſedis apoſtolicæ licentia uterentur, prohibitum fuerat, & in fine concludit. In omnibus autem quæ vltra hoc magis uidentur arctari fratres, ſiue ex declaratione ſummorum Pontificum, vel aliorum quorumcunq;, apoſtolica nobis auctoritate commiſſa, miſericorditer diſpenſamus, non aſtringentes eos propterea, qui voluerint declarationes Nicolai & Clementis ſeruare, quin ſuo voto ſatisfacientes, ſeruare valeant, & tenere. Eugenius.4. prædictorum Martini.4. & 5. de verbo ad verbum, eaſdem litteras inſeruit, & approbauit. Sixtus.4 etiam fecit idem, quod ſupradicti.*

¶ Fratres pro conſcientiarum ſuarum exoneratione, vtantur infraſcriptis verbis, procuratoribus ſupradictis locorum.

Forma inſtituendi procuratorem.

¶ *Rogamus vos atque obſecramus domini procuratores, aut Sindici noſtri omnes, vt modum infraſcriptum, pro tutandis fratrum conſcientijs, ſeruare curetis, cunq;*

nobis

nobis ob Dei amorem vobis inſeruire placuerit. In primiſq́; commonefacimus vos, quòd eleemoſynarum quotquot, ſeu ſpontè oblatarum, ſeu per fratres emendicatarum, totum extet dominium, totaq́; proprietas penes Romanam eccleſiam, vel illas elargientem, & nullum prorſus nobis ſit, illas vice dictæ Romanæ eccleſiæ, aut offerentium, ipſi & cuſtodiatis, & cum opus fuerit, ſecundum dictæ eccleſiæ, vel eorundem elargientium voluntatem, expendatis, ſiue palam vobis foris explicita fuerit, ſiue rationabiliter interpretata, quam vobis faciliter perſuadere poteſtis eſſe illam. Cum autem ipſi inſumpſeritis illas, in præſentaneam fratrum prædictorum neceſſitatem, atque vtilitatem, requiſiti per ordinis præfati Rectores, & Prælatos, expendatis. Proteſtantes nihilominus ſemper nos neutiquàm intendere his cum officijs iubere vobis, aut infeſtos eſſe, quin præcari vos ſemper humiliter potius per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, vt noſtris velitis ſuccurrere indigentijs, non diſſimiliter ad voluntatem, dictas eleemoſynas elargientium. Quod ſi videritis amplius conducibile, dictarum eleemoſynarum computa libro excipere, accepto feremus vobis, vt ſub tali formula libellus ille ſic inſcriberetis. Prouentus eleemoſynarum pro fratribus conuentus .N. elargitarum, quæ ipſorum extant elargitorum, quouſq; ſecundũ eorundem uoluntatem, eas, penes me conſeruabo, pro ipſorum fratrum ſubuentionibus conſumendas. E regione verò ſic, Inſumptus eleemoſynarum pro fratrum couuentus .N. neceſſitatibus ac vſu conſumptarum, ſecundum illorum voluntates, qui eas obtulerant. Idem prorſus intendimus de tritico, aut quauis re alia, huic ſimili, fratribus elargita, quam venundare oportet, pretiumq;, alia in fratrum commoda, conuertere. Nempe quod negotiemini hæc cũcta nomine ac auctoritate, illa condonantium, vel ſedis apoſtolicæ. Liberum erit inſuper vobis, ſi id probauerint fratres, nomine atque auctoritate ſancta Romanæ eccleſiæ, dictas eleemoſynas penes vos continere,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tinere, ſupradictaque negotia omnia, auctoritate eadem, ſed non prædictorum eleemoſynas exhibentium, tractare, atque perficere.

¶ Secundò ſi contingat, rem aliquam vendi, quæ pro vſu fratrum antea iam demigrauerat, ceu beluam aliquam, aut quicquid ſimile aliud, ipſi venditote: pretiumq́; in licitas fratrum vtilitates, prout prælatorum ordinis noueritis eſſe voluntatem, conuertitote, ſic vt memores ſitis, vos, his in negotijs, procuratores agere ſanctæ Romanæ eccleſiæ, viceq́; ipſius, omnia hæc eſſe negociaturos. Deinceps, ſi cogerentur fortè fratres ob veſtimentorum indigentias, aut eiuſcemodi debitis irretiri, placeretq́; creditori vos ſuipſius conſtituere procuratores ad tale exigendum a nobis debitum, ne recuſetis deprecamur. Tuncq́; vos creditoris procuratione fungentes, eleemoſynas illas, ad exoluenda hæc debita, quæ in dies ſuppeditabuntur, deputatas, ad creditorem ipſum pertinere dignoſcetis. Poſtremò cum ſæpius contingat ſuppeditatas fratribus eleemoſynas, penes vos nō extare, arcentur nihilominus interea ipſi, nonnulla exoluere debita, Cuperemus tunc omne per vos debitum ſolutum iri, ſub ſpe tamen, impenſas, quas effeceratis antea, ex illis redimendi, quæ gratia Dei, ſuppeditabuntur eleemoſynis, Non intendentes, vos obligare fratres ad mutui redditionem, obligatione reali, quandoquidem, nequeunt fratres hoc facere, nec intendunt, ſed ſpondere tantum, omni pro virili a ſeſe enitendum, vt ex eleemoſynis vndecunque congeſtis, contractum à vobis debitum, ſit exactè ſoluendum, Id quod etiam dicimus, ſi quid vos ſpontè pro fratribus expendatis, carentes interea, præſentaneis fratrum eleemoſynarum præſidijs, eo ſiquidem in caſu, ceu amici fratrum ſpirituales, fratribus ipſis inſeruire dignemini. In quibus omnibus ſupradictis modis & caſibus, liberum erit vobis vice veſtra, alios, quot, qualesq́; volueritis ſubſtituere, ad hac vice procuratoria, explenda. Cauentes ſemper ne fratres

tres

tres quoſuis in his ſe perperam gerentes tutemini, aut diſſimuletis, quin illos ſtatim denuncietis Guardiano, aut Miniſtro, ſi Guardianus ipſe ad lucem pariter cæcutiret.

℄ Quo ad amicos ſpirituales, de quibus in regula, & in hoc capitulo, Eſt ſciendum, quod de ſententia Bartholomei de Piſis, & Hugonis, antiquitus miniſtri, & cuſtodes, declinãtes ad caſtra, ſeu loca, de duobus præfatis neceſſarijs, ſcilicet de infirmis, & induendis fratribus, populũ in prædicatione exhortabantur, & tunc fideles aliqui, ab alijs poſiti, ad procuranda huiuſmodi neceſſaria, in his, vice populi, abſque fratrum ſolicitudine prouidebant, & iſti vocabantur amici ſpirituales, ſic & in quibuſdam locis, aliqui fideles ad præfata deputabantur ab epiſcopis, vel dominis, aut rectoribus terrarum, & amici ſpirituales cenſebantur. Amici ſpirituales qui ſunt.

℄ Aliqui videntur dicere, quod ex quo Chriſtus & apoſtoli, in ſua comitiua, mulieres ducebant, quæ eis miniſtrabant de facultatibus ſuis, vnde Petrus Ioannes ſuper 4. capitulo regulæ dicit, quod illæ dominæ, tanquam ſuarum rerum dominæ, miniſtrabant eis, quantum, & qualiter, ipſe ex ſua deuotione libera, volebant, & qui modo, loco earum ſuppeditant fratribus neceſſaria, poſſunt dici amici ſpirituales.

℄ Capiſtranus ſuper hoc capitulo dicit, quod ſi contingat pecuniariam eleemoſynam procurari à fratribus iuxta declarationes apoſtolicas, procuratori, Iconomo loci, integraliter conſignetur, et per eundem expendatur ſuis temporibus, tam pro neceſſitatibus infirmorum, & alijs fratribus induendis, quam pro alijs quibuſcunq; neceſſitatibus occurrentibus, iuxta declarationem Pontificum. Caueant tamen fratres omnino, ne aliquàm eleemoſynam pecuniariam ſiue pro ſe, ſiue pro alijs fratribus, uel ſecularibus perſonis, de prouincia, vel extra prouinciam, procurare præſumant, vel acceptare ſub pœna proprietarij, ſine ſpeciali licentia prælati ſui: ſimiliter caueant ne contrahant debita, niſi de eadem licentia, & cum modis licitis fratribus, ſecundum Eleemoſinæ integraliter conſignentur procuratori.

cundum declarationem Nicolai.

Pœna portantis quouiſmodo pecuniam.

¶ *Quicunque frater ſupra ſe, portauerit, aut manu propria contrectauerit pecuniam, aut in pera quam portat ſecum, aut ſupra iumentũ portauerit, vel in cella, aut confeſſorijs retinuerit, pœna carceris per menſem puniatur.*

¶ *Nullus etiam prælatus, uel ſubditus, ſub eadem pœna, audeat clauem alicuius arculæ, vbi ſunt pecuniæ recondita, tenere apud ſe.*

¶ *Et pro ſatisfactione eorum, qui nolunt vti apoſtolico procuratore & ſindico, vt ſunt noſtri patres reſtricti, notanda ſunt, vltra multa alia, quæ dicta ſunt ſupra, quòd pauperibus iuxta mentem beati Bonauenturæ, quantumq; extremam vouerint paupertatem, licet recipere eleemoſynam, niſi velint ſe occidere, quod ſi nephas eſt dicere, non eſt contra eorum profeſſionem, ſi quis diues homo, hanc eis adminiſtrat manu propria, quòd ſi noluerit, poteſt eam illis adminiſtrare per manum ſerui ſui, uel per manũ alterius, per fratres præſentati, expendendam pro releuãdis eorum neceſſitatibus, ſine offenſione regulæ, cum pecunia ita ſit domini cum committitur perſonæ intermediæ, ac ſi ipſe dominus eam manu propria conſeruaret, niſi fortè quis ſic deſipiat, vt dicat, quòd pecunia in manu ſeruientis poſita, tranſeat in eius dominium, quod eſt abſurdum.*

Eleemoſinę qua intentione fratribus dãtur.

¶ *Et ſi dicatur quòd dominus ſimpliciter, & abſolutè intendat dare fratribus. Dicunt Expoſitores, quòd nullus ſanæ mentis dare intendit fratribus, niſi prout conuenit regulæ et profeſsioni eorũ, dat ergo eo modo, quo fratribus expedit, ſcilicet, committendo alicui, qui per ſe eam diſpenſet in his rebus, quas fratribus licet accipere, & ſic pecunia illa, per quaſcunq; manus tranſeat, nullo modo ſpectat ad fratres, quia ſemper eſt primi domini. Et eſt per hoc manifeſtum, quòd nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam eam recipiunt, Vnde Grego. 9. qui compoſuit Decretales, & fuit perfectionis emulator, qui (vt ipſe teſtatur) in regulæ conditione beato Franciſco aſtitit, & eius plenum*

intelle-

intellectum agnouit; requiſitus à fratribus, dicit, quòd fratres, volentibus ſibi eleemoſynas facere, poſſunt fidelem aliquem præſentare, qui non erit eorum nuncius, ſed illius potius, cuius mandato, ſolutionem facit, & non recipientis eandem. Et ſubdit, quòd nec in communi nec in ſpeciali fratres habere debent proprietatem, ſed vtenſilium, & librorum, & eorum mobilium, (quæ licet habere) vſum ſimplicem facti habeant, & fratres ſecundum quod generalis miniſter, vel prouintiales dixerint, his vtantur.

¶ *Idem dicit Inno. 4. Et talia extra ordinem alienare nullo modo fratres poſsint, abſque ſedis apoſtolicæ auctoritate, niſi eſſent vilia, et parum valentia, quæ, pietatis cauſa, licet extra ordinem dare, & elargiri, obtenta tamen ſuper hoc prius ſuperiorum ſuorum licentia.* Fratres poſſunt alienare uilia.

¶ *Gregorius tamen decimus, Generali miniſtro huius ordinis concedit facultatem, res commutandi, & alienandi, ſub iſtis verbis, Nos diſcretioni tuæ, quam credimus inſtitutis regularibus ſolicitã, & honeſtatis obſeruantia ſtudioſam, tribuendi fratribus dicti ordinis, licentiam alienandi & commutandi bona mobilia, quibus ipſi vtuntur, in res alias, ſibi magis neceſſarias (cum eis videbitur opportunum) liberam, auctoritate præſentium, concedimus facultatem, ſecurius tamen erit, q̃ de conſenſu prælatorum, totum hoc fiat, medio procuratorum localium.* Prælati poſſunt res commutare.

¶ *Sed quia dicit ſanctus Bonauentura in 12. capitulo, ſuæ Apologiæ, Euangelicã paupertas, pro eo, quòd a terrenis, ad cœleſtia ſpiritum ſubleuat, tanquàm ea, qua in cœlis totaliter theſaurizat, perfectè ipſam profitenti ſuadet, omnibus temporalibus debere nudari, quantum ad affectum, atque dominium, & arcta neceſsitate ſuſtentationis, eſſe contentum, quantum ad vſum, & hic eſt eiuſmodi, quòd ſic relinquat dominium, q̃ non eijciat vſum, ſic recipiat vſum, q̃ non reſeruet dominium, ſic arctitudinem vſus ſeruet, q̃ ſuſtentationẽ naturæ neceſſariã nõ deuitet, ſed neceſsitati ſubueniat, vt ab arctitudine non recedat. Et* Paupertas Euãgelica quæ.

iterum

Manifeſta neceſſitas quæ ſit

iterum illa eſt manifeſta neceſsitas, ꝙ ſi non prouideretur ſtatus debitus cōmunitatis, uel alicuius officij, uel alterius particularis perſonæ, ſine detrimento ſtare non poſſet.

Exceſſus quis in paupertate.

¶ Exceſſus autem ſuperfluus conſiſtit, in numero, qualitate, & decore. Duo autem ſuperfluunt, ſi vnum ſufficit, multum ſi parum, ſumptuoſum ſi uile, ſpecioſum ſi deſpicabile. Quibus benè conſideratis à prælato, poterit melius ipſe determinare, quæ ſit vera neceſsitas circa ſolutionem.

¶ Et quia fortè ex ſupradictis poſſet oriri ſubditis, aliquis ſcrupulus, credendo prælatos, non rectè, dictas neceſſitates examinare, quodq; in his poſſe ſe intromittere, & non eſſe prælatis obediendum.

Iudicio prælatorum ſemper ſtandum.

¶ Ideo ad ſecuritatem conſcientiarum eorundem, eſt ſciendum, ꝙ cum 1439. in prouincia ſancti Angeli eſſent aliqui ſcrupuli, & altercationes, circa arctum vſum paupertatis inter fratres obſeruantes, frater Nicolaus de Auſimo, dictæ prouinciæ vicarius prouincialis, de mādato domini papæ, & generalis miniſtri, ſcilicet Guilermi de caſali, fecit aliquos articulos pertinentes ad iſtam materiam, qui fuerunt examinati per dictum generalem miniſtrum, & ſanctum Bernardinum de Senis, Vicarium generalem ſuper fratres de obſeruantia, & fratrem Ioannem de capiſtrano, & nonnullos alios maturos noſtri ordinis patres, & fuit mandatum, vt ſub certis pœnis ſeruarentur.

Vſus moderatus quis.

¶ In quorum tertio articulo, ſequentia ponuntur, videlicet, quia moderatus vſus, (vſus moderatus non debet dici ſuperfluus, curioſus, vel vitioſus) debet attendi, ſecundum qualitatem perſonarum, varietatem temporum, & locorum conditiones, ac alias occurrentes neceſsitates, Ideo ſuperfluitates, & curioſitates non poſſunt faciliter diſcerni, Quapropter per ſubditos non poteſt, nec debet iudicari, ſed per miniſtros, & guardianos, uel per eos, quibus ab ipſis committitur, qui de talibus ſecundum eorum conſcientias ſtrictè iudicare debent.

¶ In quarto articulo continetur, ꝙ ſi in aliquibus locis

ſit

ſit etiam manifeſta ſuperfluitas, uel curioſitas, ex eis non uitiantur, niſi fortè introducentes, uel conſentientes, ſi ad eorum officium ſpectat, & poſſunt reſiſtere, uel quicunque alij poſſunt legitimè obuiare, non reſiſtentes, & non illi, qui dictis rebus utuntur, ob aliquam neceſsitatem, uel cauſas, uel ſcandalum uitandum.

¶ *In quinto uerò articulo, dicitur, ꝙ uſus carnium moderatus, & diſcretus non prohibetur fratribus.*

¶ *In ſeptimo articulo, rurſus dicitur, ꝙ in omnibus dubijs, de quibus non poſſunt fratres ſubditi, indubitanter lucidari, tenentur ſtare iudicio prælatorum, & obedire, & ꝙ contrarium agentes, ſunt tranſgreſſores uoti obedientiæ, & digni à ſuis prælatis cenſura eccleſiaſtica, uel alia condecente pœna caſtigari. Ex quibus patet, ꝙ cum determinatio prædictorum prælatis incumbat, non eſt ſecurum, immo periculoſum eſt ſubditis, in talibus ſe intromittere, præſumptuoſè iudicantes.*

¶ *Poſſunt tamen humiliter ſuis prælatis notificare iudiciũ ſuum, dum tamẽ tandem in talibus, ordinationi, & iudicio eorum ſe ſubmittant, hæc tamen ſunt uera, niſi certiſſimè eis conſtaret prælatos malè ſe habere in dictis pecunijs, & regulam non ſeruare, nam tunc non eſſet in his eis obediendum.*

¶ *Oblationes etiam pecuniarias, in miſsis nouellis, aut ſimilibus, fratres nullo modo recipiant, aut recipi permittant, qui autem contrafecerint, tribus diebus, infra quindecim dies in pane & aqua ieiunent.* Oblationes pecuniariæ in miſſis non recipiãtur.

De laboritio honeſto fratribus neceſſario, de precio laboris, & in cuius manus poni debet, de ſacramentali confeſſione, ſacra communione, culpis, diſciplinis, oratione mentali, ſtudijs, & quomodo abſtinere debent fratres a ſecularibus negotijs, ac prohibitis artibus. Cap. V.

P*RO quo nota, quòd beatus Paulus. 2. ad Theſalo. 3. hunc laborem non ſolum commendat, ſed & præcipit dicens. Nam cum eſſemus apud uos, nunciabamus, quòd ſiquis non* Paulus præcipit laboritiũ.

uult

uult operari nec manducet, ubi beatus Thomas dicit, quòd eſt præceptum. Sed aliquid ſecundum eum præcipitur dupliciter, ſcilicet, ſimpliciter, et ſub conditione, ſimpliciter, præcipitur quod per ſe eſt neceſſarium ad ſalutem, ut ſunt opera virtutum, ſub conditione uerò, ut quando talis eſt caſus, ſine quo præceptum ſeruari non poteſt, præcipitur enim homini quòd corpus ſuum ſuſtentet, aliter eſſet homicida ſuipſius, ex præcepto tenetur corpus ſuum nutrire, unde quicunq; non habet alias unde corpus ſuum ſuſtẽtet, licitè, ne furetur, licito negotio tenetur laborare, ad Eph. 4. Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis.

Fratres compellantur ad laboritia.

¶ Quare ordinamus, quòd tàm clerici, quàm laici, compellantur per ſuos ſuperiores, in laboribus ſibi competentibus exerceri, & ſi qui inuenti fuerint notabiliter vitioſi, vel ocioſi, per miniſtrum, & guardianum voce actiua & paſſiua priuentur.

Pretium laboris conſignandum.

¶ Merces uerò laboris, iuxta determinationem Martini, ſi pecuniaria fuerit, per ſoluentes ſtatim conſignetur procuratori conuentus, ſiue loci. Si uerò, pecuniaria non fuerit, ſub pœna inobedientiæ conſignetur integra, per laborantes, prælatis eiuſdem loci, de qua poſſit omnibus fratribus ibidem commorantibus communiter (prout neceſſitas exegerit) prouidere.

¶ Dicit etiam Nicolaus 3. in ſua decretali, exijt, quòd uacãtes ſtudio, orationi, diuinis officijs, & miniſterijs exequendis, manuali labore, ſeu exercitio non arctentur.

Communio ſacra qualiter fienda.

¶ Fratres, qui non ſunt ſacerdotes de quindena in quindenam per totum annum (dempta quadrageſima & aduentu in quibus ſingulis dominicis debent communicari) recipiant cum deuotione ſanctiſſimum eucbariſtiæ ſacramentum. Sacerdotes uerò non dimittant ſingulis diebus facere ſacrum, & celebrare niſi legitimo ſubſiſtente impedimento.

¶ Fratres etiam in ſingulis diebus ſolitis ſecũdum conſuetu-

ſuetudinem prouinciæ cognoſcant culpam ſuam & faciant diſciplinam, in communitate, bisq; ad minus in hebdomada confiteantur peccata ſua.

℄ *Ordinatur, quod omnes fratres congruis locis, maximè in eccleſia quando commodè fieri poteſt, in ſanctæ deuotionis, & mentalis orationis ſtudio, ad minus omni die per horam, iuxta conſuetudinem prouinciarum exerceantur, et ſuper hoc ſuperiores inuigilent diligenter, et inuiolabiliter animaduertant in delinquentes. In omnibus etiam conuentibus, ſtatim poſt Aue Maria, fratres omnes, ad eccleſiam vadant, & ante ſanctiſſimum Sacramentum dicant brachijs extenſis 6. pater noſter, & totidem Aue Maria, & gloria patri, ultimum pro eodem ſanctiſſimo domino noſtro papa, pro lucranda Indulgentia plenaria.* Orationi quomodo vacandum.

℄ *Nullus etiam frater ſui laboris pretium, ſiue pecuniarium, uel non pecuniarium exiſtat, per ſe recipere præſumat, & qui contrarium fecerit, deprehenſus, pœna probationis caputij per menſem plectatur, & ſi fuerit in hoc conſuetudinarius, ut proprietarius, carceri mancipetur.*

℄ *Nullus etiam frater ſportulas, pileos, vel galeros, aut coronas, vel quid aliud de bombice, tornatile, aut de alia materia, uenale, facere præſumat, ſine licentia ſui miniſtri, ſub pœna, pro prima vice vnius diſciplinæ, per totum miſerere in communitate, pro ſecunda probationis caputij per menſem, pro tertia carceris per 15. dies, quam miniſter non concedat eis, niſi pro communi vtilitate conuentus, et non pro commoditatibus particularibus laborantium. Poſſunt tamen miniſtri, & guardiani (ſi eis expedire uidebitur) de pretio laboris, alicui neceſſitati fratrum laborantium ſatisfacere, quam eis conuentus teneretur prouidere.*

℄ *Præcipitur etiam omnibus patribus, & fratribus, tam Guardianis quàm ſubditis ſub pœna priuationis actiuæ & paſſiuæ vocis, per biennium, aut alia, per miniſtrum iniungenda, ne ſine ſcitu dicti patris miniſtri, & licentia in ſcriptis, incidant aliquam arborem viridarij, aut conuen-* Arbores non incidantur.

tus, ſeu nemoris, ſiue ſit fructifera, ſiue ad ornatum, cum aliqui ſint guardiani, qui dummodo tempore ſui officij, ſatisfaciant fratribus & debitis, non curant, totum conuentum alienare, aut viridarium in uno anno priuare ornamento, & fructibus, quod per 50. annos fuerat arboribus refertum, Nec miniſtri paſſim concedant licentiam, ſed tantum pro extrema, euidentiq; neceſsitate, & non in genere, ſed ad determinatam cauſam, quam etiam non exequatur, ſine præſentia, & conſenſu diſcretorum.

Idonei ad ſtudium promouendi ſunt.

ℭ *Præterea, cum ex regula ad labores honeſtos, & ordini vtiles fratres excitentur, de quorum numero ſacræ ſcripturæ, & bonarum artium, ſtudium præcipuè arbitramur. Omnes fratres, tam prælatos, quàm ſubditos in Chriſti viſceribus exhortamur, vt quotquot idoneos ad ſtudia promouendos viderint, iuxta eorum capacitatem, eiſdem, omne auxilium, omnemq; fauorem & conſilium impendant, in quibuſlibet opportunis, & neceſſarijs, cum ſcientia ſit donum Dei, armatura ad defendendam ſanctam fidem catholicam, corona ordinis, lumen veritatis, & uia in tenebris ambulantium populorum, & miniſtri diligenter & ſolicitè inuigilent circa reformationem ſtudiorum in ſuis prouincijs, taliter quòd cuilibet ſtudenti, pro poſſe prouideatur de neceſſarijs, tam pro libris, quàm pro alijs neceſſitatibus, per procuratorem receptis.*

ℭ *Præcipimus inſuper, quòd in qualibet prouincia, ubi bono modo fieri poteſt, habeantur ſtudia Grammatices, Logices, Philoſophiæ, & Theologiæ, ad quæ iuuenes idonei promoueantur.*

Studia in ſingulis prouincijs habeãtur.

ℭ *Fratres uerò cuiuſcunq; conditionis exiſtant, modo ſint iudicati à Capitulo prouinciali idonei ad grãmaticam legendam, teneantur per obedientiam, & ſub pœna priuationis vocis actiuæ & paſsiuæ, per trienniũ huiuſmodi ſtudium et negotium grãmatices legendæ acceptare, et ſecundum gratiam ſibi cœlitus datam, executioni demandare.*

ℭ *Ordinamus etiam, quòd ſtudentes extra ſuas pro-*

uinciás commorantes, confeſsiones non audiant mulierũ, niſi talis caſus contingeret, quòd aliqua vellet confiteri, cuius linguam nullus alius intelligeret de conuentu, & ſi miniſter aliquos inuenerit notabiliter inſolentes, uel in ſtudio negligentes, ad ſuas de conſilio diſcretorum remittat prouincias.

℄ Abſtineant inſuper fratres pro poſſe, à negotijs & implicationibus ſecularibus, Et non ſint iudices, uel arbitri vel arbitratores, quorumcunque, nec de alijs officijs noſtrum ordinem dedecentibus, ſe aliqualiter intromittant, & quicunq; contrafecerit, (niſi id illi ſuus miniſter mandauerit) omnibus actibus legitimis priuetur. N gotia ſecularia relinquẽda.

℄ Nullus etiam frater procuret per ſe, uel per alium, quouiſmodo cõmitti ſibi, vel alicui fratri, occupationes aliquas, ſeu negotia procuranda, per reges, principes, & prælatos, ſeu communitates, ſiquis autem contrarium fecerit, procurando ſibi committi negotia, uel ſuam cum perſonis extra ordinem manſionem, omnibus officijs ordinis habeatur indignus.

℄ Fratres euntes etiam per obedientiam, non accedant ad curiam Romanam, neque ad curias aliorum principũ, niſi hoc eis ſpecialiter in ſcriptis ſuis concedatur, & primò conuentibus vbi curiæ fuerint ſe præſentare, ac ad commiſſarios in eiſdem curijs, per religionem deputatos recurrere omnino teneantur. Fratres non accedant ad curias principũ.

℄ Nullus audeat puerorum ſcholas regere, ſeu ſecularium perſonarum, in conuentu noſtro, ſiue extra, ſub actuum legitimorum priuationis pœna. Fratres non regant puerorũ ſcholas.

℄ Diſtrictè etiam præcipimus, quòd nullus frater, operationes alchimiæ, aut alias quaſcunque operationes doctrinarum vel artium ſuſpectarum (quæ in publico non docetur, aut ab eccleſia reprobatæ ſunt) addiſcere, exercere, vel docere; aut libros, vel ſcripturas continentes talia, ſcienter retinere preſumat, qui contrarium fecerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, et ſi legitimè Fratres alchimiam non conficiant.

fuerit deprehenſus, carceri mancipetur, & ſi de his violenta ſuſpectione fuerit ſuſpectus, in domo diſciplinæ, arctetur ad veritatem dicendam.

Fratres non efficiantur ſecularium medici.

¶ *Interdicitur etiam fratribus uniuerſis, ne quis extra ordinem audeat, velut medicus, pulſum tangere, vrinas videre, ſyrupos & pharmaca ordinare, aut actum aliquem medicinalem exercere, ſeu phlebotomiam facere, & miniſtri ſuper hoc, per obedientiam inuigilent, puniantq́ delinquentes.*

Quod nihil ſibi approprient fratres, de proprietarijs, ac eorum pœnis, & quomodo in omnibus ſeruari debet communitas, quod non recipiantur depoſita, nec impignorentur res conuentus, non recipiaturq; de nouo nec relinquatur conuentus ſine generalis miniſtri licentia, de legatis perpetuis, & cura infirmorum. Cap. VI.

FRatres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem &c. *Sed tanquã mundo ueri pauperes, Chriſto autem diuites, ſciant ſe ad omnium rerum abdicationem, tam in communi quam in particulari eſſe obligatos, De qua abdicatione, Nicolaus inquit, Ne fratrum perfectionis claritas, imperitis emulorum ſermonibus laceretur, dicimus, ꝙ abdicatio proprietatis huiuſmodi, omnium rerum, tam in ſpeciali quam in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta, quam & Chriſtus, viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmauit.*

Abdicatio proprietatis eſt meritoria.

¶ *Nec quiſquam ex his inſurgat erroneè, ꝙ taliter propter Deum, proprietatem omnium rerum abdicantes, tanquam homicidæ ſui vel tentatores dei, vitæ diſcrimini ſe committant, quia ſic ſeipſos committunt diuinæ prouidentiæ in uiuendo, ut uiam non contemnant prouiſionis humanæ, cum vel de his quæ offeruntur liberaliter, uel de his quæ mendicantur humiliter, vel de his quæ acquiruntur per laboritium, ſuſtententur, qui triplex viuendi modus in regula prouidetur expreſſe; profecto, ſi iuxta Saluatoris promiſ-*

promiſſum, nunquam deficiet fides eccleſiæ, per conſequens nec opera miſericordiæ ſubtrahentur, ex quo Chriſti pauperibus, omnis ratio diffidentiæ cuiſlibet uidetur eſſe ſublata.

¶ *Et quidem ubi (quod non eſt aliquatenus præſumendum) hæc cuncta deficerent, ſicut nec cæteris, ſic nec ipſis fratribus, iure poli, in extremæ neceſsitatis articulo, ad prouidendum neceſsitati naturæ, uia omnibus extrema neceſsitate detentis, conceſſa præcluditur, cũ ab omni lege extrema neceſsitas ſit excepta, cum nulla poſsit eſſe profeſsio, quæ à ſe uſum ſimplicem facti & non iuris, neceſſariæ ſuſtentationis excludat.*

¶ *Et quia fratres, nec domum, nec locum ſibi appropriare debent, contra huiuſmodi locorum appropriatores, ſtrictiſsimè præcipimus, quòd miniſtri cum uiſitant, de huiuſmodi, in ſuis uiſitationibus, diligenter inquirant, & ſi quos inuenerint tales, de ſuis locis expellere teneantur.* Appropriatores locorũ expellendi.

Dicimus autem locorum appropriatores; quibus dantur obedientiæ recedendi, & ipſi procurant eas per preces ſecularium reuocari; ſeu qui alios de ſuis locis natiuis, quos extraneos reputant, ſubditos, ſeu prælatos habere, uel etiam pacificè ſuſtinere, nolunt. Appropriatores locorũ qui ſint dicendi.

¶ *Miniſtri etiam prouinciales, pro uirili ſua laborent, ut habitus, tunicæ, mantelli, femoralia, facioli, & ſimilia cuſtodiantur in communitate, ad ſufficientiam, pro neceſſitatibus fratrum, & pro tota communitate.* Communitas ſeruanda.

¶ *Si aliquis fratrum inuentus fuerit proprietarius omni actu legitimo ſit priuatus, laici uerò & clerici, qui carent officijs, probationis caputio puniantur, & ſi quis talis in morte, inuentus fuerit, eccleſiaſtica careat ſepultura.* Proprietarij punitio.

¶ *Et quia non modo omnem appropriationem, uerum & eius ſpeciem, à noſtro inſtituto, omnino extirpare debemus; Ideò præcipimus, quòd fratres, quandocunque pro aliquo negotio extra terram, ubi manent, exire contigerit, ſemper dimittant claues cellæ & arculæ, ſiue ſcabelli, guardiano, aut de eius licentia alicui alteri fratri, & qui* Fratres non portent claues ſecum.

contra-

contrarium fecerit ad miniſtri arbitrium puniatur.

Libri cui loco acquirantur.

¶ Si qui fratrum in aliena prouincia, medio ordinato, & per ſpirituales amicos, aut ſuo honeſto labore, acquiſierint libros, prouinciæ & loco natiuo, vel vbi profeſsi ſunt, ſecundum conſuetudinem prouinciarum, eos acquirunt. Si tamen aliquem fratrem, propriam prouinciam dimittere contigerit, & in alia incorporari, ac in ea mori; tunc libri erunt illius prouinciæ in qua moritur, diſtribuendi iuxta neceſsitatem fratrum, aut locorum, ad arbitrium miniſtri, ſi uerò moriatur in prouincia, vbi erat forenſis, & non incorporatus, reuertantur ad propriam prouinciam, & ad locum ſuum, ut ſupra.

Eleemoſyna guardiano notificanda.

¶ Quilibet autem frater teneatur quam primum, poſtquam ſui guardiani præſentiam habuerit, eidem totam eleemoſynam, quæ pro ipſo, quocunque modo expendenda, vel pro alijs diſtribuenda habebit, integraliter reuelare, et hoc idem guardianus miniſtro facere teneatur, & qui ſecus fecerit, pœna proprietarij puniatur.

¶ Nullus etiam guardianus loci, vicarius, aut alius quo modocunque præſidens, etiam per procuratorem, audeat vendere ligna, fenum vel quæ naſcuntur in hortis, & huiuſmodi, neque paſcua, domos, aut hortos ipſos, quouis modo locare, ſub pœnis per miniſtrum taxandis.

Proprietarij pœnam luat q res ſuas extra conuentum depoſuerit.

¶ Pœna etiam proprietarij puniatur, quicunque libros, ſeu alias res, quaſcunq; ſuo vſui deputatas, apud perſonam aliquam extra conuentum ſeu locum fratrum depoſuerit, abſque miniſtri ſui licentia, vel guardiani, & ſcitu aliquorum patrum, præſentis loci.

¶ Simili quoque pœna puniatur, qui pro ſe, vel pro alio in contrahendis debitis inuentus fuerit vitioſus, & ſimiliter, qui libros vel res alias ſuo vſui deputatas, pro ſe, vel pro alio, pignori ſuppoſuerit, ſine ſui miniſtri licentia.

Impignorare res conuentus nõ liceat Guardiano.

¶ Guardiani inſuper res conuentuum, vel locorum, ſine magna neceſsitate, vel euidenti vtilitate, impignorare non audeant, & ſi id fecerint, ſit de aſſenſu maioris par-

tis conuentus.

¶ *Caueant aũt guardiani, ne aliquem locum in debita oneroſa inducant, uel induci permittant, abſq; miniſtri cõſilio & aſſenſu, & de his debitis, in quolibet prouinciali capitulo perquiratur, & in delinquentes animaduertatur.*

¶ *Item nullus prælatus vel ſubditus, aliquam litteram, vel inſtrumentum confici permittat, in quibus proteſtentur ſe pecuniam recepiſſe, cum hoc ſonet proprietatem, ſufficiat enim dicere (vt conſuluimus procuratori, & dictum eſt in quarto capite) tantam quantitatem pecuniæ datam vel legatam, pro ſua neceſsitate, vel vtilitate, ab aliqua perſona eſſe acceptam, & ſibi plenariè ſatisfactum.*

Inſtrumentum ſi quod faciendum nulla fiat receptæ pecuniæ mentio.

¶ *Inhibemus diſtrictè, ſub pœna priuationis actuũ legitimorum ꝙ nihil permittatur deponi in locis fratrum, in auro, vel argento, gemmis, ſeu alia quacunque re precioſa, niſi aliquis neceſsitatis articulus emergat, quem fratres ſine ſcandalo vitare non poſſunt, & nunquam fiat ſine conſilio diſcretorum, & licentia guardiani, ita ꝙ videatur ab ipſis, quid ſit, ſi fieri permiſerit qui deponit, & cui, & qualiter reddi debeat, & hoc ſub ſcriptura autentica, uel deponentis ſigillo ſi habet, & ſemper cum proteſtatione deponentibus facta, ꝙ fratres, de cuſtodia nullatenus tenebuntur, talia autem depoſita ſemper in communi loco, à guardiano aſsignato ſeruentur, & eo modo, quo accepta fuerint, reddantur cum idonea cautione.*

Depoſita non recipiantur.

¶ *Guardiani etiam ſingulis menſibus teneantur, ſub pœnis per miniſtrum taxandis, reddere computum clarum, & diſtinctum, de eleemoſynis elargitis, & de modo & via, quibus ſunt largitæ, & de expenſis, & eo modo quo ſunt expenſæ, coram tota ſua communitate, & miniſtris in ſuis viſitationibus. Si quos guardianos verò dictus miniſter inuenerit notabiliter defectuoſos, ſuis priuet officijs.*

Guardiani ſingulis menſibus computum reddant.

¶ *Eccleſia & alia edificia, quæ conſiderato fratrum inhabitantium numero, exceſsiua meritò debeant iudicari, fieri de cætero firmiter prohibemus.*

Nullus

Conuentus vllus de nouo relinquatur aut accipiatur niſi de conſenſu generalis.

¶ *Nullus etiam conuentus de nouo accipiatur, aut de nouo relinquatur, ſine licentia generalis miniſtri, ſub pœnis ſibi arbitrarijs, & nullitate talis receptionis, aut alienationis. Nec aliquod notabile ædificium de nouo conſtruatur; aut deſtruatur in conuentibus noſtris, ſine diſpenſatione miniſtri; & qui contrarium fecerit per ipſummet prouintialē miniſtrum, de illo loco irreuocabiliter expellatur.*

¶ *Inhibemus etiam per obedientiam, ꝙ nullus frater per ſe, vel per alium, inducat aliquam perſonam ad faciendū, vel ordinandum, aliquam eleemoſynam perpetuam, vel ad vitam, ſibi, uel alteri fratri, uel etiam ordini, aut conuentui, exhibendam, & ſi aliqua talis fuerit ordinata, nullo modo à fratribus; vel ab aliquo, nomine ipſorum in iudicio exigatur, aut exigi procurent. Si quis autem contrarium attentauerit, ſcienter inducendo, vel in iudicio exigendo, vel exigi faciendo, modo prædicto, ipſo facto, excommunicationis ſententiam incurrat.*

¶ *Fratres non recipiant legata perpetua præfata, aut exigant, niſi eo modo, quo conuenit ſtatui noſtro & obſeruationi, cum nec legantes & ordinantes talia legata, intendant relinquere & dare fratribus, niſi eo modo, quo conuenit profeſſioni noſtræ & ſaluti ea recipere, cum ponatur in teſtamentis particula iſta, videlicet, ꝙ valeat omni meliori modo quo poteſt, quæ facit actum valere eo modo, quo de iure fieri poteſt, & ſic illa deberentur monaſterio, quoniam deberent conuerti ad pios vſus, & pro cultu diuino monaſterij. Magis ergo hoc dicendum erit, quando expreſſè apparet legata fuiſſe ordinata pro anima, & amore Dei, vt ſingulis diebus celebraretur miſſa, vel ſimile.*

¶ *Caueant fratres pro poſſe, ab omni ſcandalo clericorum, & irreuerentia prælatorum, & in generalibus interdictis, ſecundum formam ſtatuti domini Clementis Papæ quinti, matricibus eccleſiis ſe conforment.*

¶ *Cum etiam ex regula, miniſtri & cuſtodes circa infirmos, ſolicitam curam genere teneantur, iuxta Nicolai expoſitio-*

poſitionem, declaramus, prædictos miniſtros & cuſtodes, per alios infirmorum ſeruitio deputatos, hoc regulæ adimplere præceptum.

¶ Prædicti autem infirmarij, ſeu fratres infirmorum ſeruitijs deputati, ſtudeant cum diligentia & ſedulitate, eis ſeruire. Miniſtri verò & guardiani, eorumq́; vicarij, eos viſitare perſonaliter, eisq́; ſeruiri facere, & de cunctis neceſſarijs prouidere, vel prouideri facere, teneantur. Et hoc de communibus eleemoſynis, niſi pro neceſſitate fratris infirmi indiſtinctè fuerit aliqua eleemoſyna deputata. Infirmis charitas exhibeatur.

¶ Et vt hoc melius obſeruetur, volumus & mãdamus miniſtris & guardianis, vt in ſuis conuentibus & locis, in quibus erunt, ſi qui fuerint infirmi, perſonaliter viſitent, & inquirant ſolicitè, qualiter conſuetudinariè prouidetur, & ſeruitur infirmis, & ſi aliquos defectus compererint, fratres qui fuerint in his culpabiles, ſecundum defectus, & culparum exigentiam puniant, & defectus prout poterunt faciant emendari. Prælati perſonaliter viſitent infirmos.

¶ Miniſtri in quolibet loco ſuæ prouinciæ, deputent vnum fratrem, qui in eorum abſentia infirmos fratres frequenter viſitet, & guardianum, & procuratorem & infirmarium, prout viderit expedire ſolicitet, ita q̃ (vt præmiſſum eſt) benè prouideatur & ſeruiatur infirmis.

¶ Porrò miniſtri, ſi quos guardianos, vel eorum vicarios legitimè deprehenderint in præmiſſis notabiliter deliquiſſe, ipſos, ſicut crudeles, vel nimium negligentes, in prouinciali capitulo, à ſuis officijs debeant amouere.

¶ Infirmarios verò, & alios ſeruitores, quos in huiuſmodi officio repererint deliquiſſe, ſecundum qualitatem delicti, debitæ ſubijciantur diſciplinæ.

¶ Viſitatores etiam, in prouincijs quas viſitant, de hoc articulo ſingulariter inquirant, & ſi aliquas prouincias in hoc vitioſas inuenerint, fideliter veritatem ſignificent capitulo generali.

De caſibus reſeruatis & habentibus auctoritatem ab eiſdem abſoluendi, de ſtatutis ſuper eiſdem caſibus ſigillatim terminatis, & pœnis annexis, de forma procedendi contra exceſſus, & incorrigibiles, & illos qui aſſerunt, quòd prælati non valent ſibi reſeruare caſus. Cap. VII.

Bonifacius Papa octauus. Ad augmentum continuum religionum & ordinum, quos Romana ſuſcepit, & approbauit eccleſia, paternis ſtudijs intendentes, & conſiderantes, attentius, quod non intermiſſa ſedulitas diſciplinæ & rigoris, ordines ſupradictos, ſtatuſque regulares, ſalubriter dirigit & conſeruat, quodque ſi eam perire, vel remitti contigerit, ordo quilibet collabi neceſſariò cogeretur: penſantes quod ſi regularium perſonarum correctio, rimas iuris & apices ſequeretur, huiuſmodi rigor lenteſceret, ac multiplici laxatione torperet. Nos veſtris pijs ſupplicationibus inclinati, vobis auctoritate apoſtolica indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones fratrum eiuſdem ordinis delinquentium infligendas, prælati ordinis ſupradicti, ad quos ea ſpectare noſcuntur, rimulis iuris & apicibus eius poſtpoſitis, liberè procedere valeant, ſecundum conſuetudines approbatas, & generalia facta, & facienda ordinis inſtituta. Nec volumus, eiſdem licere fratribus, ab eiſdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, præuia deliberatione, & maturitate debita, obſeruatis. Hac tamen conceſsio Bonifacij intelligitur, vt inferius in decimo capite patebit, Vbi propter hoc iuſtitia non periclitatur, vt dicit papa in. c. Ad hac. De dolo & contumacia.

Apices iuris non ſemper ſeruantur.

Appellatio qualiter interdicatur fratribus.

℄ Ordinamus igitur quod nullus frater, prouinciali miniſtro inferior, niſi ex ſpeciali generalis vel prouincialis miniſtri licentia, poſsit aliquem abſoluere, à peccato inobedientiæ contumacis. (Dicimus autem inobedientiam contumacem, quando quis trina monitione præmiſſa, factis congruis interuallis, per diem naturalem inobediens perſeuerat.) Proprietariæ rerum detentionis, lapſus carnis, furti rei no-

Non abſoluantur niſi ab habente poteſtatem.

rei notabilis, ſeu frequenter iterati, iniectionis manuum violentæ, falſi teſtimonij in iudicio facti, compoſitionis vel proiectionis, aut publicationis libelli famoſi, falſificationis ſigilli cuiuſcunq; perſonæ notabilis, & falſæ criminationis in infamiam cuiuſcunq;. Et ſi aliquis miniſter prouincialis committat alicui ſubditorum ſuorum, auctoritatem ſuam, ſuper illis caſibus, qui miniſtris ipſis reſeruantur, ſi contingat miniſtrum mori, vel ab officio amoueri, talis commiſsio, penes illum, cui fuerat facta, dumtaxat remaneat, donec miniſter in prouincia habeatur, niſi miniſter de nouo creatus confirmet ſibi talem facultatem.

Conceſſio abſoluendi, maneat etiã poſt mortem concedentis.

¶ *Quicunq; autem confeſſor ex certa ſcientia, præſumpſerit, à prædictis abſoluere, ſuſpenſus ſit, ipſo facto, à confeſſionibus audiendis, nec reſtitui poſsit, niſi per prouincialem miniſtrum, & quicunq; in hoc vitioſus legitimè fuerit deprehenſus, pœna carceris puniatur.*

Pœna abſoluentium à caſibus reſeruatis.

¶ *Siquis autem auſus fuerit affirmare, quòd quilibet Sacerdos poſsit abſoluere à peccato, ſuper quo non habet commiſſam auctoritatem, & maximè de prædictis, & correctus noluerit reuocare, tanquam errans, & ſubuerſor, carceri mancipetur.*

Pœna aſſerentium quòd quilibet à dictis caſibus poſſit abſoluere.

¶ *Ordinamus igitur, quod ſi qui fratres, diuina permittente iuſtitia, & hoſtis antiqui procurãte malitia (quod abſit) præmemoratis criminibus fuerint irretiti, quòd pro abſolutionis beneficio, ad miniſtros, vel eorum commiſſarios, vt poteſtatem tenebrarum effugiant, ſine mora accedant, quando maximè peccatum fuerit notorium. Si verò fuerit occultum, confeſſor ſuus ordinarius, poſsit ſibi beneficium abſolutionis impendere, hac tamen lege, vt quàm citius poterit præſentiam habere ſui miniſtri, illi pro manifeſtando ſibi tali crimine ſe præſentet.*

Peccatum occultum quomodo ſoluendum.

¶ *Miniſtri verò & eorum commiſſarij diligenter attendant, quod miſericordiæ oleum infundentes, vinum iuſtitiæ infundere non prætermittant, vt ſcilicet, de pœnitentia debita pœnitentibus, non modicam gratiam facientes,*

Satisfactio præcedere debet abſolutionem.

non abſoluant quempiam, niſi prius ab eo damnificatis, in perſona, fama, vel rebus alijs, ſatisfaciat.

¶ Talis autem abſolutio, in foro quidem obtenta ſecreto, non debet correptionem iudicialis fori (ſi crimen probatum fuerit) impedire.

Præuẽtio quid operetur in iudicio.

¶ Si tamen frater pœnitens inſtigante ſe ſpiritu, antequam ſit delatus, ſiue accuſatus de crimine, faciem miniſtri, coram teſtibus in confeſsione præuenerit, indulgemus & concedimus, ꝙ miniſtri de plenitudine poteſtatis, & gratiæ, à pœnis debitis, de conſilio præmemoratorum teſtium, fratrem pœnitentem, quo ad extrinſecum forum, quietare valeant, alia quacunq; minus confuſibili ſibi impoſita pœnitentia ſalutari. Hoc autem intelligimus, de primo recurſu, & ſemper cum proteſtatione, ꝙ ſi relabatur in eadem crimina, de quibus fuerat quietatus, ad ſtatum priſtinum reducetur, ſi de lapſu, ſufficiens probatio habeatur.

Tactus impudici cenſentur caſus reſeruati.

¶ Nullus confeſſor poſsit abſoluere, de tactibus impudicis enormibus, niſi qui de lapſu carnis licentiam habet abſoluendi, & qui in talibus conſuetudinariè fuerint deprehenſi, & moniti ſe nõ correxerint, ſicut de lapſu carnis, carceris pœna puniantur. Idem etiam iudicium habeatur de ſolicitantibus ex certa ſcientia ad peccatũ carnis, & guardiani ſiue cuſtodes non poſſunt abſoluere à prædictis etiam in priuato commiſsis, ſi per miniſtrum ſpecialiter non committatur eiſdem.

Confiteri non debent fratres, niſi ordinis noſtri ſacerdotibus.

¶ Inhibemus etiam fratribus vniuerſis, conformiter ad conſtitutiones papales, ne alijs quàm prælatis ſuis, vel alijs ſacerdotibus eiuſdem ordinis (niſi in neceſsitatis articulo) confiteri præſumant.

Guardiani ſint de ſuorum fratrum confeſſoribus conſcij.

Singuli etiam fratres noſtri de conſcientia & voluntate ſui guardiani, determinatos habeant confeſſores, quibus bis ad minus, in qualibet hebdomada confiteantur.

¶ Si aliquis frater conuictus fuerit de crimine, aut confeſſus, pro quo in iudicio ſeculari eſſet morte plectendus, vt de crimine relapſus in hæreſim, vel de homicidio voluntario,

tario, & alijs ſimilibus, perpetuis carceribus mancipetur.

¶ *Nullus autem carceretur, niſi pro manifeſto, & enormi exceſſu, & qui aliter aliquem incarcerauerit, ipſo facto omnibus actibus legitimis ſit priuatus.* Peccatum enorme qualiter puniẽdum.

¶ *Enormem dicimus exceſſum, vel ratione generis peccati, vt inobedientia contumax, lapſus carnis, & perfidia hæreſis, Vel ratione circunſtantiæ, ſicut eſt furtum rei notabilis, vel notoriè factum, ſeu quia frequenter iteratum, & de alijs caſibus reſeruatis, idem iudicium habeatur.* Peccatũ enorme quale ſit.

¶ *Declaramus, ꝙ omnes qui pœna carceris puniuntur, eo ipſo, actibus legitimis ſint priuati. Vnde quamuis liberentur à carcere, non propter hoc reſtituuntur ad actus prædictos. Suſpenſi autem ſiue priuati, nullo modo poſsint releuari, niſi in capitulo prouinciali.* Incarcerati ſunt actibus legitimis priuati.

¶ *Declaramus inſuper, ꝙ in priuatione officiorum ordinis, intelligitur priuatio, non ſolum prælationis, ſed etiam confeſsionis, prædicationis, lectionis, diffinitionis, viſitationis, & electionis in diſcretum ad capitulum mittendũ, non tamen vocis actiuæ in electione eiuſdem. In priuatione autem actuum legitimorum, nolumus ꝙ intelligatur priuari quis executione ordinis, ſiue voce actiua, aut lectione, ſiue prædicatione, vel teſtificatione in iudicio, niſi ſpecialiter exprimatur, benè tamen intelligitur priuari confeſsione, ſaltem ſecularium.* Priuatio officiorum ordinis quid importet. Actus legitimi qui ſint.

¶ *Quicunq; frater, incarceratum à carcere liberauerit, vel conſentiens fuerit, vt recedat, ſine licentia miniſtri, & frater incarceratus manus ordinis euaſerit, tam liberans, quàm guardianus, vel cuſtos, fratri incarcerato aſsignatus, ſi de præfatis conuicti fuerint, carceri mancipentur.* Liberans aliũ a carcere carceretur.

¶ *Si quiſpiam fecerit aliquid, propter quod, pœnam carceris mereatur ſuſtinere, declaramus, ꝙ guardianus, vel eorum vicarij de conſilio diſcretorum, poſsint eum detinere in domo diſciplinæ, ne fugam arripiat, ſiue ſit de eorum ſubditis ſiue non, donec per miniſtrum, quid ſit agendum* Guardianus poteſt detinere delinquentem vſque ad mandatum miniſtri.

de ta-

de tali definitum fuerit. Hoc autem intelligimus, quando rei euidentia, exceſſus commiſſus eſt manifeſtus.

Carceres quales debēt eſſe.

¶ Carceres habeantur in ſingulis prouincijs, fortes, multiplices, & humani, & vt legi caritatis & pietatis ſatisfiat, præcipitur ꝙ carceres non ſint omnino ſine luce, vt carcerati ipſi, diuini officij ſolutioni, & lectioni, pro ſpirituali conſolatione, aliquando intendere poſsint. Incarceratis quoq; confeſsionem ſacramentalem petentibus, præſidentes negare non poſsint. Perpetuo nihilominus carceri damnati, pro die ſacro Paſchæ radantur, & ad ſacram communionem in infirmaria, vel in alio loco honeſto & ſecreto, ipſo die admittantur.

Arctatio quid importet.

¶ Declaramus etiam, ꝙ quando in ſtatutis ſit mentio de arctatione alicuius fratris, arctatio huiuſmodi ſic intelligatur, ꝙ per triduum in qualibet hebdomada frater talis diſciplinetur, cum Pſalmo. Miſerere mei Deus, ſemel recitato, & comedat panem dumtaxat, & aquam bibat. Pœna autem hæc durabit per tempus, quod miniſter, ſeu guardianus cum conſenſu diſcretorum conuentus (vbi arctandus eſt) iudicabunt, ita tamen, ꝙ tempus huius taxationis, arctato ipſi non reueletur.

Incarcerati quid facere debent.

¶ Volumus etiam, & præſenti ſtatuto decernimus, vt carcerati, ſemel in qualibet hebdomada ſexta videlicet feria, faciant in communitate fratrum, ſine caputio per totum miſerere mei Deus; diſciplinam manu propria, & eodem die, etiam in pane & aqua ieiunent. Omnes autem carcerati habitu ordinis expolientur, non ſic in domo diſciplinæ poſiti.

¶ Declaramus item, ꝙ quando in ſtatutis quibuſcunque, pœna carceris, excommunicationis, ſuſpenſionis, et priuationis exprimitur, nolumus fratres ligari ad illas, niſi ſcienter, & ex deliberatione contrarium facientes. Et vbicunque taxatur pœna incurrenda ipſo facto, decernimus, quòd in talem pœnam non incurritur, niſi poſt declarationem factam à prælato. Prælatus autem, non declaret delinquentem

Pœnam quis nō incurrit niſi poſt declarationes iudicis.

quentem commiſiſſe factum, pro quo pœna ipſo facto erat impoſita, niſi per rei euidentiam, vel alias, legitimè de crimine conſtiterit, poſt declarationem tamen huiuſmodi, ipſo facto, reus in pœnam venit impoſitam, ſine noua impoſitione.

℄ Declaramus itidem, ꝙ vbicunq; in conſtitutionibus iſtis, vel alijs quibuſcunq;, cenſura excommunicationis, ſuſpenſionis, & ſimilium continetur, vbi eſt comminatio de futuro vel latæ ſententia, eſt facienda declaratio, vt in ſupradicto proximo ſtatuto. Et ſi ibi non exprimitur, à quo imponi vel infligi debeat, intelligitur ab eo debere infligi, ſeu declarari, coram quo legitimè talis probatur exceſſus, dummodo ad eundem pertineat talis exceſſus, correctio.

℄ Siquis autem de innominabili crimine (propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ) fuerit (quod abſit) notatus & conuictus, carceri perpetuo mancipetur, vbi ſaltem qualibet hebdomada, igne circa eum accenſo, corpore denudato, pane & aqua ieiunans, diſciplinatus, in amaritudine et dolore defleat vitam ſuam. Poterit tamen eum generalis miniſter poſt aliquot annos, à præfato carcere liberare, ſi tanta in eo viderit indicia contritionis, propter quæ dignum eum tali diſpenſatione fore iudicauerit.

Peccatũ innominabile qualiter puniendum.

℄ Quicunque fratrum, peccatum alterius fratris (quod legitimè probare non poteſt) alteri quàm prælato ſuo reuelauerit, pœna talionis puniatur.

℄ Qui fuerit conuictus peccatum in confeſsione ſibi detectum reuelaſſe, pœnam excommunicationis incurrat, & carceri per trimeſtre deputetur, ſi legitimè fuerit deprehenſus.

Pœna reuelantis confeſſionem.

Quicunque frater alteri fratri, non prælato, verbum improperij, aut conuitij dixerit, per vnius Miſerere mei Deus ſpatium faciat diſciplinam in communitate. Et ſi alicui prælato tale verbum dixerit, vltra præfatam diſciplinam, comedat ſemel in terra; ſi autem improperauerit aliquem de delicto ignominioſo, pro quo iam alias fuit punitus, diſcipli-

Pœna alios iniuriantium.

ſciplinam faciat publicè in refectorio, & ſemel ieiunet in pane & aqua.

Reſpondens prælato in mẽſa quomodo punitur.

¶ Si quis frater prælato ſuo in culpa vel menſa reſponderit, non obtenta prius ab eo licentia, priuetur voce actiua & paſsiua per annum, & cui hæc non competit pœna, alia plectatur ad arbitrium miniſtri.

Pœna minantium & percutientium.

¶ Si aliquis frater, alicui perſonæ minabitur in perſona, vno menſe probationis caputium portabit, ſi autem manum leuauerit, vel aliquid, ad percutiendum acceperit, ei tribus menſibus probationis caputium imponatur. Si verò non grauiter percuſſerit, per annum, prædictum probationis caputium portare teneatur; ſi autem grauiter percuſſerit, vel ad grauiter percutiendum lapidem, vel aliquid aliud acceperit, & proiecerit, vel gladiũ, aut aliquid aliud eduxerit, & qui etiam arma offenſionis portauerit, vel in cella, vel alibi retinuerit, pœna carceris per bimeſtre puniatur. Et ſi aliquem enormiter vulnerauerit, vel mutilauerit, vel alicui venenum dederit, perpetuo carceri mancipetur, & eidem pœnæ ſubiaceat, qui hæc eadem, vel ſimilia, per alium fieri procurauerit, vel ad huiuſmodi facienda, inuentus fuerit machinari.

Pœna conſpirantium in prælatos.

¶ Qui per malitioſam concordiam, ſeu conſpirationem aduerſus alium, maximè ſuperiorem, ſe erexerint, omnibus officijs ordinis ſint priuati, quouſq; per cõdignam ſatisfactionem, per generalem vel prouinciales miniſtros fuerint reſtituti. Non intelligitur autem malitioſa concordia, quando ſubditi volunt prælatis, & ſuperioribus ſuis aliquid intimare.

Excommunicãtur procurantes ordinis diuiſionem.

¶ Sub interminatione anathematis prohibemus, ne aliquis verbo, vel facto, aliquo modo ad diuiſionem ordinis noſtri laborare præſumat. Siquis autem ex deliberatione contrarium fecerit ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, & ſi legitimè fuerit deprehenſus in carcerem conijciatur per miniſtrum.

Pœna recurrẽtium ad brachiũ ſeculare.

¶ Quicunq; frater prætendens ſibi iniuſtitiam factam

recur-

recurrerit ad aduocatos, procuratores, & iudices ſeculares, vel quomodocunq;, vel qualitercunq; ad brachium ſeculare, ſine licentia, ipſo facto, actibus legitimis ſit priuatus, & cui hæc pœna non competit, probationis caputio, per ſex menſes puniatur, nec poſſit releuari, niſi per miniſtrum generalem.

Abſoluere q̃s poteſt ab iniectione manuũ violenta?

¶ *Ab excommunicatione pro iniectione manuum violenta, poſſit cuſtos, vel guardianus abſoluere, ſi miniſtri, aut cuſtodis præſentia, infra diem naturalem haberi non poſſit; aut vicarius guardiani, ſi præſentia cuſtodis aut guardiani infra triduum minimè poſſit haberi. Hoc autem ſtatutum non intelligitur de iniectione atroci, vel ſubditi in prælatum.*

Pœna falſificantium ſigilla & literas p̃latorum.

¶ *Quicunq; fratrum, per ſe, vel per aliũ, ſigillũ, vel litteras prælatorum, vel principum, generalis vel prouincialium miniſtrorum, ſeu aliarum notabilium perſonarum, falſificare præſumpſerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, & ſi legitimè fuerit deprehenſus, carceri mancipetur: & ſi falſificauerit ſigillum vel litteras generalis miniſtri, non abſoluatur ab excommunicatione, neq; à carcere liberetur ſine eiuſdẽ generalis ſpeciali mandato.*

Pęna deſtruentium vel impedientium litteras fratrum.

¶ *Quicunq; frater litteras eorundem malitiosè per ſe, vel per alium deſtruxerit, vel impedierit, ne mittantur eiſdem, retinuerit, vel aperuerit, ſuſpenſus ſit ab omni actu legitimo ipſo facto, & cui hæc pœna non competit, probationis caputio puniatur. Et hoc intelligitur tam de litteris, quas ipſi mittũt ad alios, quam de illis quæ mittũtur ipſis, ab alijs, nec releuentur niſi per ſuum prouincialem miniſtrum, ſi offenſus fuerit miniſter, ſi autem generalis miniſtri fuerint, per ipſum tantum, releuentur. Prædicta etiam pœnæ ſubiaceant, qui ſuperiorum literas, ſibi ipſis miſſas legere, vel aperire diſtulerint malitiosè: & qui retinuerint, aperuerint, vel reddere diſtulerint, literas miſſas ſocijs generalis vel prouincialium miniſtrorum, ſeu miſſas ab eiſdem.*

Pœna alios infamantium:

¶ *Quicunq; frater, quamcunq; perſonam falsò & ſcien-*

ter de crimine infamauerit in occulto, non niſi a miniſtro abſolui poſsit, ſi verò in publico, non abſoluatur à dicto miniſtro, niſi ſibi impoſita pœna criminis, de quo falsò, & ſcienter, alium infamauit, nec aliquis iſtorum abſolui poſsit, à prædictis, niſi primò prout poterit, reſtituat famam infamatæ perſonæ. Ideò diſtrictè præcipimus, fratribus vniuerſis, ꝙ nullus in ſecreta collocutione ſub ſigillo confeſsionis aliquid dicat, quod vergat in infamiam alicuius, vel ꝙ poſsit inter fratres diſſenſionem aliquam generare.

Pœna imponentis crimen in iudicio.

℄ Quicunq; depoſuerit coram quocunq; prælato vel viſitatore, falsò, vel ſcienter de aliquo crimine contra fratrem, vel aliquam perſonam ad hoc faciendum induxerit, vel reuocauerit falsò, vel ad reuocandum prouocauerit, quod verè depoſuit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, nec poſsit niſi per miniſtrum prouincialem abſolui. Ita dumtaxat, ꝙ ſatisfaciat, prout ſibi poſsibile fuerit, in forma ſecundum quam depoſuerit, vel reuocauerit publicè, vel occultè.

Pœnitentiam ſuperioris, inferior non poteſt relaxare.

℄ Ordinamus, ꝙ nullus commiſſarius generalis à pœnitentia quam impoſuit miniſter generalis, nec miniſter prouincialis à pœnitentia quam impoſuit commiſſarius, ſiue viſitator, nec cuſtos à pœnitentia quam impoſuit miniſter, nec guardianus à pœnitentia quam impoſuit cuſtos, nec aliquis inferior à pœnitentia quam impoſuit guardianus, aliquem abſoluat, nec mutet, ſine licentia imponentis, & ſi contrarium factum fuerit, ipſa abſolutio ſit inanis.

Procurans medio ſecularíũ, nouitatem in ordine quomodo punitur.

℄ Præcipimus per obedientiam, in virtute ſpiritusſancti, vt nullus frater per ſe, vel per quamcunq; interpoſitam perſonam, ſuadeat, vel ſuaderi faciat alicui prælato, regi, vel principi, communitati, caſtro, villæ, ſeu alicui perſonæ, extra noſtrum ordinem exiſtentem, vt aliquid immutetur de ſtatu noſtri ordinis, vel ordinatione alicuius prouinciæ, vel diuiſione, ſeu vnione prouinciæ, vel quocunq; fratre, ſeu fratribus, de aliquo loco amouendis, & quicunque ſcienter contrarium fecerit, Nos generalis & prouinciales mini-

miniſtri,& diffinitores capituli generalis, talem fratrem contra præceptũ prædictum ſcienter facientem, in his ſcriptis excommunicamus, & ab omni actu legitimo ſuſpendimus: nec abſolui à talibus pœnis poſsit, niſi per generalem aut prouincialem miniſtrum, & cui hæc pœna non competit probationis caputium portet per trimeſtre: & ſine ſpe redeundi, de ſua prouincia expellatur.

¶ *Quicunq; etiam frater, cuiuſcunq, conditionis exiſtat, per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro alio, quocunq; modo promotionem procurauerit in noſtro ordine per perſonam aliquam, extra noſtrum ordinem exiſtentem; vel ꝙ in aliquo loco ponatur, vel remoueatur, vel ꝙ remoueri nõ poſsit, ſententiam excommunicationis incurrat, & omni actu legitimo ſit priuatus, et ipſa promotione, & omni alia, careat ipſo facto, nec releuari debeat niſi per capitulum generale, immediatè ſequens.* Procurans dignitatẽ per ſeculares quomodo punitur.

¶ *In virtute ſpiritusſancti per obedientiam diſtrictè inhibemus, ne quis cauſam depoſitionis generalis vel prouincialis miniſtri, ſeu guardiani, vel eorum exceſſum, ſeu correctiones, aut ſecretum capituli cuiuſcunq;, diſſenſionem diffinitorum, aut fratrum, vel aliquid aliud vnde ordo noſter poſſet turbari, vel infamari, ſcienter audeat extra noſtrum ordinem publicare, & ſiquis talium fuerit legitimè deprehenſus ipſo facto omnibus actibus legitimis ſit priuatus.* Reuelans cauſam prælatorum depoſitorum quomodo puniatur.

¶ *Si quis frater tacito proprio nomine, vel ſub nomine alieno, litteras, ſiue libellos famoſos ediderit, eos mittendo, proijciendo, vel quomodolibet exponendo, in infamiam alicuius, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. Quòd ſi editi fuerint in infamiã generalis vel prouincialis miniſtri, non poſsit reſtitui actor eorum, niſi ſolũ per generalem miniſtrum, vel per eum cui ipſe in ſpeciali duxerit committendum. Si autem aliarum, quarumuis perſonarum tangat infamiam, per prouincialem, dumtaxat, miniſtrum, actor eorum poſsit releuari, & quicunq; in huius-* Pœna libellos famoſos componentium.

modi legitimè fuerit deprehenſus, carceri mancipetur.

Incorrigibiles qua pœna plectendi ſint.

¶ Fratres incorrigibiles, cum ſuis exceſsibus, conſcriptis & examinatis fideliter per miniſtrũ, ſeu viſitatorem, ad prouinciale capitulum tranſmittantur, ꝙ ſi adeo incorrigibiles fuerint, ꝙ nec culpam cognoſcere humiliter, nec pœnitentiam condignam ſubire voluerint, in carcere macerentur: ſi verò pœnitentiam acceperint, & correctionem promittant, eis cum miſericordia, pœnitentia imponatur; quam ſi portare contempſerint, ad conſueta uitia reuertentes, mittantur ad triremes, vbi autem id fieri non poterit, perpetuis mancipentur carceribus, aut reiecti habitu ordinis expolientur.

Pœna afferentium quod prę lati non poſsũt ſibi caſus reſeruare.

¶ Dogmatizantes etiam ꝙ ordinis prælati, in numero quorum cenſendi ſunt cuſtodes, & guardiani, non poſsint ligare ſubditos cenſuris eccleſiaſticis, eoſq́; excommunicare, & quòd generales & prouinciales miniſtri non poſsint ſibi reſeruare caſus, prout in .7. hoc capite, eiſdem conceditur, ſi ſint cõuicti pro prima uice, actibus legitimis ſint priuati, ſi verò perſeuerauerint, nec reſipiſcere voluerint carceri mancipentur. Aduertant tamen prælati, ne pro leui cauſa, excommunicationis gladium in ſubditos animaduertant, cum ſecundum doctrinam Scoti, debeat tantum pro mortali, & enormi infligi.

De electionibus generalis miniſtri, commiſſarij generalis, miniſtrorum prouincialium, diffinitorum, cuſtodum prouinciarum, diſcretorum conuentuum, ſimul & de inſtitutione officialium Romanæ curiæ & commiſſariorum particularium, ac de eorum omnium officio & auctoritate, & à quibus eorum Vicarij eliguntur, ſi contingat quempiam illorum debitum humanæ carnis perſoluere. Cap. VIII.

Generalis miniſtri electio.

CVM generalis miniſter, per regulam, ſit à miniſtris prouincialibus, & cuſtodibus eligendus, in capitulo Penthecoſtes, ſtatuimus & ordinamus, ꝙ ad huiuſmodi capitulum, conueniant miniſtri & cuſtodes prouinciales, qui cuſtodes prouinciales, litteras teſtimoniales ſub ſigillis miniſtrorum, & loci capituli prouincialis

vbi

vbi eliguntur ſecum portent. Cum autem contigerit, ex prædictis aliquem, ſeu aliquos, ad capitulum generale non venire, nihil eorum quæ expedienda ſunt per capitulum, omittantur. Quinimmo, decernit generale capitulum, & ordinat, quòd quamuis miniſter generalis poſſit, de conſilio aliquorum patrum diſcretorum, mutare locum capituli generalis aſſignatum, ſuperueniente aliqua euidenti neceſſitate, non tamen poſſit differre capitulum, vltra vigiliam Penthecoſtes, in qua inuiolabiliter fiat electio miniſtri generalis, quando erit facienda, ſiue miniſter generalis venerit, ſiue non, etiã ſi plures vocales defuerint. Quòd ſi miniſter generalis non venerit, commiſſarius generalis illarum partium, vbi tenetur capitulũ, loco eius præſideat in ipſo, niſi ipſe generalis miniſter, alium ſpecialem commiſſarium, ad id miſerit. Et ſi vterq; ipſorum defuerit, miniſter prouincialis in cuius prouincia celebratur capitulum, & in eius abſentia, ille quem congregatio generalis ad hoc elegerit, præſideat, vſq; ad electionem noui miniſtri generalis. Congregatis igitur ad locum capituli, prædictis miniſtris, & cuſtodibus, feria quinta ante feſtum Penthecoſtes, ſequenti feria ſexta, dicta Miſſa, Fiat ſermo fratribus in communi, & ipſa die quieſcant, & deliberent vſque ad mane diei ſequentis, & tunc cantata miſſa de Spirituſancto, ingreſſi capitulum, cantent hymnum, Veni creator, Verſus, Emitte ſpiritum tuum, Oratio, Deus qui corda fidelium. Deinde litteræ teſtimoniales cuſtodum, miniſtro generali coram omnibus legitimè præſententur, & voces omnium vocalium legitimè integrentur. Vota abſentiũ, & eorum, qui ſunt voce priuati (vt moris eſt) ſuppleantur. In qua ſuppletione, primò ſuppleatur commiſſarius generalis, 2. procurator ordinis, 3. commiſſarius Romanæ curiæ. 4. guardianus Pariſienſis, & cuſtos Hieroſolymitanus, ſi præſentes fuerint; aliæ verò voces, per capitulum generale, ſiue per generalẽ miniſtrum, cum ordinis conſilio patrum, ſuppleantur. Quod ſi nulla ſuppletio facienda ſit, tam mi-

Generalis poteſt mutare locũ capituli generalis.

Generale capitulum nõ poteſt differri.

Ordo in electione generalis miniſtri tenendus.

niſter

niſter generalis immediatè abſolutus,quam prædicti tres, præter electiones & depoſitionẽ miniſtri, in omnibus alijs erunt de corpore capituli. Miniſter autem generalis abſolutus,qui etiam habet votum actiuum in electione generalis nouiter eligendi, primum locum teneat poſt generalem miniſtrum electum,durante toto capitulo generali,& poſt eum,alij qui fuerunt commiſſarij generales:& diffinitores nouiter eligendi ſtatim poſt ſuam electionem in menſa & alijs locis immediatè ſequentur illos, qui fuerunt generales commiſſarij, poſtea miniſter prouinciæ in qua capitulũ celebratur,poſt ipſum procurator ordinis, deinde cõmiſſarius curiæ,poſt quos miniſtri ſuccedent,iuxta ordinẽ prouinciarum,& ſuo modo cuſtodes. Sex diſquiſitores eligantur, quorum tres ſint ciſmontani, ab eiſdem deputati, & tres de vltramontanis,ab eiſdem ſimiliter deputati, vel à generali miniſtro,cum conſilio diffinitorum, reſpectiuè vtriuſq; familiæ.Generalis autem miniſter,& miniſtri prouinciales, ſimiliter & cuſtodes, in conclaui recludantur, ita q nullatenus exire valeant, nec illis aliqua alimenta miniſtrentur, donec prouiderint (vt oportet) de generali miniſtro,ita q die ſabbati,& in vigilia Pẽthecoſtes habeat religio, alium generalem miniſtrum,præſentem vel abſentem,iuxta ordinationẽ D.Leonis Papæ decimi. In eligendo autem,diſquiſitores (vt præfertur) deputati, ſingulorum vota,aliquantulum patenter ſeorſum,fideliter conſcribãt, ita q ſinguli antequam recedant ab eis, audiant qualiter receperint vota ſua,electores verò in explicando vota ſua his verbis vtantur. Ego miniſter ſeu cuſtos talis prouinciæ,nomino talem fratrem in generalem miniſtrũ. Quibus per ordinem conſcriptis: ſtatim in eodem loco publicentur in medium,quæ conſcripſerunt,tacito nomine eligentium, & ſi in primo ſcrutinio non fiat electio, iteretur modo prædicto quouſq; electio fuerit canonicè celebrata. Quod ſi, diuina gratia inſpirante,omnes vocales in vnum aliquem ſe conformauerint,illius electio firma eſt,abſq; aliqua quæſtione.

ſtione. Si verò in partes inæquales ſe diuiſerint, ille in quē maior pars omnium eligentium conſenſerit, nulla Zeli, vel meriti collatione, aut conſideratione habita, exceptione, ſeu contradictione quacunq; alterius partis, non obſtantibus, pro vero generali miniſtro habeatur. Poſtquam electio fuerit pronunciata, ſurgat vnus de diſquiſitoribus, & dicat. In nomine patris, & filij, & ſpiritusſancti, Amen. Hæc eſt electio Reuerendiſs. Patris miniſtri generalis totius ordinis Minorum ſancti Franciſci, canonicè celebrata, per dicti ordinis patres reuerendos vocales, miniſtros videlicet & cuſtodes, iuxta formam, & puritatem regulæ, capitulariter congregatos in præſenti conuentu. N. ciuitatis ſeu loci. N. anno domini. N. Die verò. N. In qua electione Reuerendus pater. N. habet tot voces, & Reuerendus Pater. N. tot &c. Et ego frater. N. eiuſdem ordinis profeſſor, ac prouinciæ. N. cuſtos, vel miniſter, vnus ex diſquiſitoribus, & compromiſſarijs ſcriptor, virtute compromiſsi limitati in me, & in ſocios meos facti, nomine meo, & nomine aliorum omnium, qui in dictam electionem conuenerunt, & conſenſerunt, nomino, & eligo, in totius eiuſdem ordinis miniſtrū generalem, præfatum patrem Reuerendiſs. fratrem. N. in quem, maior pars vocum conſenſit, ſicq́. electum denuncio. In nomine patris, & filij, & Spiritusſancti. Quo facto auctoritate apoſtolica, ac ex vi talis electionis, & præſentis conſtitutionis, pro confirmato habeatur, & ſtatim cantor, incipiat. Te deum laudamus: Et in omni pronuntiatione electionis, tam miniſtrorum prouincialium, quàm diffinitorum & commiſſariorum generalium electorū, iuxta formam bullæ vnionis, forma prædicta, vel alia canonica obſeruetur. Omnes autem diſquiſitores præfati teneantur poſt electionis pronunciationem, ſtatim comburere ſchedulas, in quibus vota fuerunt annotata. Forma publicandi generalis miniſtri electionem.

¶ In hoc autem capitulo miniſtri prouinciales ſemper per ſe ſi præſentes fuerint, aut per ſuas litteras (ſi abſētes) ſuis officijs renunciare debeant, quorum renuntiatio à mi-

niſtro generali, vel à præſidente, cum aſſenſu generalis capituli (ſi videbitur) admittatur. In omnibus autem memorati capituli diffinitionibus, ſententia plurium indiſtinctè præualeat, & inuiolabiliter obſeruetur. Deinde fiat collatio, ſuper his, quæ ad capitulum de prouincijs ſunt tranſmiſſa, & ordine ſuo uiſitentur in diffinitorio, ſiue fuerint contra generalem functũ officio, ſiue contra prouinciales, aut prouinciarum, bonũ commune concernentia, & prouideatur per generalem miniſtrum, & diffinitores, & capitulum, de ſingulis, (vt oportet) videlicet, de correctione corrigendorum, & ordinatione ordinandorum. Perquiratur etiam diligenter, qualiter regula & ſtatuta in ſingulis prouincijs ſeruentur. Et nullus alterius religionis, aut profeſsionis, nullusq; ſecularis (cuiuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtat) tractatibus capitularibus admittatur. Et in fine aſsignetur locus capituli generalis ſequentis. Recitetur etiam numerus defunctorum fratrum à tempore generalis capituli proximè præcedentis, pro quibus dicatur. Pſalmus. De profundis, in fine, requiem æternam, Pater noſter, verſus. A porta inferi, Requieſcant in pace, Domine exaudi, Dominus vobiſcum, Oratio. Abſolue quæſumus. Numerus autem defunctorum ibi recitatus, ad ſingulas prouincias vna cum tabula capituli generalis ſub ſigillo miniſtri generalis deportetur. Tandem fiat confeſsio & abſolutio in communi, perſeuerantibus benedictio detur, & apoſtatæ anathematizentur, ſimilis ſolennitas in fine capituli prouincialis obſeruetur. Ipſe autem miniſter generalis habeat duos ſocios ſcribas, vnum ciſmontanum, alium vltramontanũ, & duos alios habere poſsit, ſed non plures. Prædicti autem ſcribæ miniſtri generalis, debeant præuidere ſemper litteras, per alios ſcriptas, & viſis tantũ ſignũ ponere, antequam ſignentur à generali miniſtro, ne fortè aliquid in eis contineatur contra ſtatuta, aut ordinationes. Teneantur prouinciales miniſtri, & guardiani prouidere eidem, & ſocijs, de conuentu ad conuentum, & de prouin-

Sententia plurium præualere debet.

Apoſtatæ anathematizẽtur.

Generalis miniſter quomodo recipiẽdus.

prouincia ad prouinciam deducendo, & nullo modo habeat famulum ſecularem. Recipiatur autem in conuentibus noſtris, à tota communitate fratrum, cum cruce, ei per ſuperiorem indutum cappa, vel vbi non eſt cappa, ſuperpellicio & ſtola, ad oſculandum offerenda, flexis genibus in introitu eccleſiæ: tali modo, ꝙ fratres deducant eum, ante altare maius cantando, Salue ſancte Pater; vel aliquid aliud. Inſuper miniſtri prouinciales, & cuſtodes, & alij patres: ad miniſtrum generalem pro ſuis negotijs venientes, ſi non fuerint expediti, non comitentur eum de conuentu in conuentum, ſed præcedant, vel ſequantur; præter miniſtrum prouincialem & guardianum loci, à quo recedit. Et declarat aũt generale capitulũ, ꝙ miniſter generalis in ſexẽnio per ſe, vel per ſuos commiſſarios, viſitare totum ordinem teneatur. Et infra prædictum ſexennium, nullum poſſit generale capitulum celebrari, niſi commiſſarius generalis eſſet de nouo eligendus: vel prædictus generalis miniſter ſuo cederet officio; aut mori contingeret, aut ab eodem ex alia cauſa legitima indictum fuerit.

¶ Ad ſatisfaciendũ autem bullæ vnionis, in qua ſit mentio de diffinitoribus, & propter alias multiplices cauſas, in capitulo generaliſsimo, eodem die, poſt electionem generalis miniſtri, eligantur duodecim patres, per ſecretum ſcrutinium; de ciſmontanis ſex, & totidem de vltramontanis in diffinitores & determinatores, vna cum generali miniſtro, cauſarum, tam particularium perſonarum, quàm prouinciarum. Et diſquiſitores ciſmontani in electione diffinitorum, audiant, & recipiant vota, & ſuffragia ciſmontanorum. Vltramontani verò audiant & ſcribant ſeparatim in alia menſa, voces vltramontanorum: licèt in electione generalis miniſtri, omnes ſex diſquiſitores, inſimul debent audire, & recipere ſuffragia ſingulorum vocalium, tam ciſmontanorum, quàm vltramontanorum, ex quibus tantum duo ſcribant vota ſingulorũ, vnus ciſmontanus, & alter vltramontanus, cæteri quatuor erunt aſſi-

ſtentes illis duobus, & ſimul vota ſingulorum intelligentes. Præfati diffinitores electi in vno generali capitulo, non poſſunt, immediatè reeligi in ſequenti generali capitulo.

Vicarius ordinis à quibus eligatur.

¶ Cæterum ordinatur, quod ſuperueniente morte miniſtri generalis, ſi moriatur in partibus (vt puta ciſmontanis, vel vltramontanis) de quibus aſſumptus eſt. Miniſter in cuius prouincia moritur, teneatur conuocare illos qui fuerũt pro tempore generales miniſtri, & commiſſarij (quãdo electio vicarij ordinis celebretur in partibus illis, vbi fuerunt commiſſarij generales electi ſecundum bullam in capitulo generali) & diffinitores illarum partium, qui fuerunt electi, in generali capitulo immediatè præcedenti, quàmprimum, ad locum commodiorem, communitati dictorum diffinitorum, pro electione vicarij ordinis. In qua electione, dictus miniſter præſideat, & habeat vocem actiuam, & paſſiuam, ſicut ipſi patres & diffinitores, & ille in quem maior pars illorum conſenſerit, ſit vicarius totius ordinis.

¶ Si verò moriatur in partibus, quibus præeſt commiſſarius generalis, electus ſecundum bullam vnionis per miniſtros & cuſtodes illarum partium, de quo infra: miniſter in cuius prouincia ipſe generalis moritur, quamprimum fieri poterit, teneatur portare, vel legitimè impeditus, mittere ſigillum ordinis patri commiſſario generali illarum partium: regiſtro ordinis bene clauſo, & ſigillato, ſigillis miniſtri prouincialis, & conuentus in quo moritur, apud ſcribam ordinis curam eiuſdem regiſtri habere ſolitum, remanente. Qui quidem commiſſarius generalis, illarum partium diffinitores, vbi generalis deceſſerit, quã primũ fieri poterit, in loco commodo teneatur conuocare: in qua congregatione, tam dictus commiſſarius generalis, quàm illi qui fuerunt miniſtri generales, cum ſint patres, vt dicetur infra, vtriuſq; familiæ, & miniſter in cuius prouincia eſt defunctus generalis miniſter, vocem actiuam habeat, ſicut & præfati patres & diffinitores. Eligendus verò ſemper ſit de eiſdem partibus, de quibus generalis miniſter

defun-

defunctus, aſſumptus erat.

¶ Si autem prouincia in qua moritur generalis, orbata eſſet miniſtro prouinciali, commiſſarius illius prouinciæ in prædictis ſuppleat vicem miniſtri prouincialis eiuſdem.

¶ Et ſiquis diffinitorum prædictorum fuerit morte præuentus, miniſter prouincialis ſuæ prouinciæ, vel præfatus commiſſarius ad prædicta ſupplebit.

¶ Quòd ſi miniſter generalis moriatur in terminis duabus prouincijs communibus, miniſter prouinciæ prioris in ordine prouinciarũ, teneatur (vt prædictũ eſt) prouidere.

¶ Et ſi in terminis aliquibus prouincijs indifferentibus, moriatur, huiuſmodi prouiſio, ad propinquiorem prouinciam pertinebit.

¶ Miniſter generalis, ſi adminiſtrando ſuo munere, deceſſerit ex hac vita, ante officij ſui quatriennium, qui tunc ſuffectus fuerit vicarius ordinis, eo modo ante præſcripto, is protinus cogat uocales omnes ſuffragatores, miniſtros ſcilicet & cuſtodes, eius familiæ tantum, ex qua ſit miniſter generalis defunctus, vtpotè, ciſmontanæ vel vltramontanæ, ad cooptandum alium generalem miniſtrum, in eamq́. cooptationem, & electionem, iudicetur vltro compromiſiſſe, ſuisq́; ſententijs iuiſſe altera familia, ita vt quod egerit ea familia ex qua erat mortuus generalis, & quæ alium ſola elegit, altera ratum, fixumq́; habeat. Idq; propterea fit, ne toties breui tempore, commoueatur, conturbeturq́; vniuerſis orbis, cum ſumma ſecularium admiratione & immenſis impenſis factis, cum paucis poſt annis, ſint habenda comitia ex vniuerſo ordine, ad eligendum miniſtrum ex altera familia, ea ſcilicet quæ compromiſit, quemadmodũ fuit vtriuſq; familiæ viciſsitudo.

Compromiſſio vnius familiæ in aliam ſi generalis intra ſexennium de nouo eligatur.

¶ Idem omnino intelligatur, & de electione noui miniſtri generalis, & de compromiſsione, ſi etiã viuens aliqua de cauſa, vel infirmæ ualetudinis, vel alterius iuſtæ rei, voluerit renunciare muneri, officioq́; ſuo: vt ipſemet generalis miniſter conuocet familiæ ſuæ patres vocales (miniſtros

videlicet & cuſtodes) & curet alium eligendum generalem miniſtrum, inquem patres alterius familiæ, compromiſiſſe intelligantur: donec veniat tempus legitimũ creandi generalem miniſtrum, cunctis totius ordinis ſuffragijs.

Generalis miniſter ſuo functus officio cẽſeatur vtriuſq; familiæ pater.

¶ *Generalis miniſter ſuo functus officio, habeatur pro patre, atque diffinitore vtriuſq; familiæ, æquũ namq; eſt, vt qui vtranq; familiam per ſex annos moderatus eſt, ab vtraq; vt verus ac legitimus pater cenſeatur, & colatur. Itaq; ſi contigerit, vt generalis miniſter, vel mortuus fuerit, vel ſuo renunciauerit officio, quemadmodum ſupradictum eſt, talis pater ac diffinitor vtriuſq; familiæ olim generalis, vocari debeat ad præfati vicarij generalis ordinis electionem, maximè ſi hærere eum contigerit in illis partibus, in quibus facienda eſſet dicti vicarij ordinis electio.*

De commiſſario generali.

¶ *Poſt autem electionem generalis miniſtri (vt dictum eſt) in vigilia Penthecoſtes, ſi fuerit ex partibus ciſmontanis, eligatur immediatè per patres vocales miniſtros & cuſtodes vltramontanos (iuxta vnionis bullam) per ſcrutinium ſecretum, cuius diſquiſitores vltramontani audiẽt, & conſcribent ſingulorum ſuffragia, generalis commiſſarius vltramontanus. Et ſi miniſter generalis fuerit ex partibus vltramontanis, per vocales ciſmontanos, & diſquiſitores eiuſdem familiæ, eligatur commiſſarius generalis ciſmontanus: qui per triennium tantũ continuabit officium ſuum, niſi caſus talis acciderit, ꝙ vel propter bella, aut aliud legitimum impedimentum, generale capitulum inter medium pro electione alterius generalis commiſſarij, celebrari non poſſet. Quo caſu ſtante, generalis miniſter, eundem vſq; ad tempus opportunum, de conſilio nonnullorum patrum continuare poſſet, aut alterum pro ſuo arbitratu, eiuſdem tamen familiæ, de qua erat functus officio, eiſdem partibus præficere.*

Electio generalis commiſſarij.

Generalis miniſter ex cauſa poteſt prorogare tẽpus cõmiſſario generali.

¶ *Ordinatur etiam, ꝙ ſi contingat, dictum commiſſarium generalem infra ſuum triennium mori, miniſter generalis*

neralis poſſit inſtituere alium commiſſarium generalem, vſque ad capitulum generale immediatè futurum, de conſilio aliquorum diſcretorum patrum.

¶ *Sicut & idem generalis miniſter de vna familia aſſumptus, ſi contingat ſe transferre ad alteram familiam, cauſa viſitationis, vel alterius negotij exequendi, poteſt de conſilio aliquorum patrum, inſtituere commiſſarium generalem, & eiſdem partibus ex quibus aſſumptus eſt præficere, vſq; ad ſuum reditum ad partes illas. Poſt mortem aũt commiſſarij generalis ſiue electi, ſecundum bullam vnionis per vocales, ſiue inſtituti iuxta ſupradictum modum à generali miniſtro, miniſter in cuius prouincia deceſſerit, eius officium, cum poteſtatis plenitudine exerceat, quouſque alius commiſſarius, per miniſtrum generalem (vt præfertur) aſsignetur.*

Generalis miniſter quomodo nouum poteſt eligere vel inſtituere com miſſarium generalem.

¶ *Idem generalis commiſſarius electus iuxta dictam bullam, in omnibus, & per omnia ſubijciatur generali miniſtro, poſſit tamen exercere ſuum officium, & vti ſua auctoritate, etiã exiſtente generali miniſtro in partibus, quibus hæret dictus commiſſarius, niſi eidem præfatus generalis, ordinauerit, vt negotia aliqua ad ſuum deuoluantur iudicium, aut reſeruauerit ſuæ plenariæ iuriſdictioni aliquas prouincias, per ſe, vel alios commiſſarios ſuos particulares, viſitandas. Eo tamen generali miniſtro exiſtente in partibus, ex quibus aſſumptus eſt, commiſſarius generalis in alia exiſtens familia poſſit omnes delinquentes punire, ac eadem auctoritate vti in eos in partibus ſibi creditis, tam prælatos, quam ſubditos, tam inſtitutos à dicto generali miniſtro, quàm ab alijs ordinis prælatis, qua vti poſſet præfatus generalis miniſter, ſi præſens eſſet, niſi fuerit ſibi aliqua particularis cauſa interdicta.*

Generalis cõmiſſarius ſubijcitur in omnibus gñali miniſtro.

¶ *Poterit etiam animaduertere in officiales curiæ Romanæ modo & conditione infraſcriptis, in titulo vbi de talibus erit mentio.*

Officiales curiæ ſubijciuntur generali cõmiſſario.

¶ *Dictus commiſſarius generalis, duobus erit contentus*

tus ſocijs, & in ſuo triennio creditas ſibi prouincias, demptis vltramarinis, per ſe, vel per commiſſarios viſitare teneatur.

Commiſſarius generalis functus ſuo officio erit pater ordinis.

¶ *Prædictus item generalis commiſſarius functus ſuo officio, habendus cenſetur pater ac diffinitor, in ſua familia, quanquam ante geſtum munus, tali honore non fuerit decoratus, & idem ipſe non ſecus atque dictum eſt de generali miniſtro olim functo officio, habebit vocem actiuam in electione vicarij ordinis.*

De diffinitoribus tã generalibus quã prouincialibus.

Diffinitores non eligantur præciſè vocales.

¶ *Diffinitores generalium, & prouincialium congregationum, eligantur non ſolum vocales de corpore capituli exiſtentes, ſed de quibuſcunq; patribus, in loco congregationis exiſtentibus. Huiuſmodi autem diffinitores ſic electi, non de corpore capituli, non habeant vocem actiuam in electionibus miniſtri, vel cuſtodis ad capitulum generale mittendi. In cæteris autem quæ ibi tractantur, ſicut cæteri vocales habeant voces.*

Ex vltramarinis vnus eligatur diffinitor.

¶ *Ex partibus vltramarinis ciſmontanæ, vel Italæ familiæ, vnus in quibuſlibet generalibus congregationibus eligatur diffinitor, ſi prouinciarum vltramarinarum, quæ ſunt duæ in Hungaria, duæ in Boſna, Lithuania, Pollonia, Auſtria, Bohemia, Dalmatia, Raguſia, & Candia, miniſtri & cuſtodes, ad generale capitulum acceſſerint aut ſui loco legitimè impediti, alios deſtinauerint.*

¶ *Diffinitores generalis congregationis, in vno capitulo electi, in ſequenti reeligi non poterunt. Et in capitulo intermedio, in quo eſt vna dumtaxat familia, ſex tantum eligantur.*

¶ *In capitulis autem prouincialibus, quatuor præciſè, & electi in uno capitulo, uacent ſiue per unum ſiue per duo capitula, iuxta conſuetudinem prouinciarum, antequam iterum in diffinitores eligantur.*

¶ *In diſpoſitione autem prouinciarum erit, diffinitores, eodem anno, quo ſunt electi diffinitores, præficere uel non præfice-*

præficere guardianos, aut monialium confeſſores. Sic eodem anno, quo eliguntur diffinitores, præcedent in choro, menſa, & in alijs publicis actibus, non diffinitores, & cæteros qui non fuerunt miniſtri, nec ſunt actualiter guardiani: quo elapſo, omnino ſeruabunt ordinem in præfatis, religionis, quo antiquiores in religione præcedunt fratres minoris ætatis in ipſa religione. Nec ſocios particulares aut capita menſæ ratione paternitatis habere poterunt, ſed cõmunitatem & communem uſum fratrum ſeruabunt.

¶ *Diffinitores noui, non eligantur, poſt numerum duodecim diffinitorum in prouincia, ſine generalis, uel commiſſarij generalis licentia, ne ex tanta patrum multitudine, & in cõtemptum ueniat paternitas, & ambitio augeatur.*

¶ *Omnes quotquot electi fuerint cuſtodes, ad generale capitulum mittendi in prouinciali capitulo per guardianos & diſcretos, de cætero (ut infra dicetur) cenſeantur in numero patrum prouinciæ.*

¶ *Conceſſum eſt etiam prouincijs reformatorum galliarum ex ſpeciali gratia, ex quo promiſerunt recipere commiſſarium generalem electum ſecundum bullam vnionis, vt in generalibus noſtris comitijs habere poſsint vnum diffinitorem.* Reformati galliarum debent habere diffinitorem.

De procuratore, & commiſſario curiæ Romanæ.

¶ *Procurator curiæ, ſeu ordinis, ſemper inſtituatur de eadem familia ex qua aſſumptus eſt generalis miniſter: ad quem ſpectat orare in capella domini papæ, & in eadem, tempore debito intereſſe.* Commiſſarij & procuratoris curiæ officium.

¶ *Commiſſarius verò curiæ, ex altera inſtituatur familia. Nec ambo vltra triennium, in ſuo poterunt continuari officio, ne temporis diuturnitate, conuertant cogitationes ſuas ad priuatas rationes, cum natura negotiorum ordinis, ijdem plus equo fiant inſolentes.*

¶ *Subditi ſint, ac pro ſubditis habeantur, auctoritati & obedientiæ generalis commiſſarij illarum partium, ſiue electi, ſiue inſtituti, dum ab eiſdem partibus generalis miniſter* Officiales curiæ ſubijciuntur gñali cõmiſſario.

ſter aberit,ita vt ab ipſo commiſſario generali poſsint corrigi,etiam vſq; ad ſuſpenſionem à ſuis officijs, ſaltem quoadúſq; ea de re fuerit factus certior, idem generalis miniſter; Alteri prælato, ſiue locali, ſiue prouinciali, vna cum duobus ſocijs, quos vnuſquiſq; eorum habere poteſt, non ſubijciuntur, quam dictis generalibus, miniſtro videlicet & commiſſario:

Nullus præſumat quicquam in curia agere ſine licentia & ſcitu officialiũ.

℃Ad prædictos curiæ officiales, procuratorem ſcilicet & commiſſarium pertinebit, omnia ordinis negotia expedire, & nullus alius frater cuiuſcunq; gradus, & conditionis exiſtat, ſub pœna priuationis omnium actuũ legitimorum, ſe intromittere, aut procurare audeat aliquam gratiam in præfata curia, etiam bonum familiæ noſtræ concernentem, aut aliquod negotium cum prælatis curiæ expedire ſine illorum, aut miniſtri, vel commiſſarij generalis licentia.

Ipſi officiales nihil tangens totum ordinẽ ſine licentia generalis attentent.

℃Præfati autem procurator, & commiſſarius, nullo modo ſe intromittant de fratribus, quoad regimen prouinciarum, nec ſe ingerant in agendis ſecularium negotijs, nec aliquid tangens totum ordinẽ, & eius libertatem coarctans poſsint abſq; generalis miniſtri ſcitu, & expreſſa licentia, procurare, aut procurari permittere.

Dicti officiales remittant tantum fratres ad Romanam prouinciam.

℃Procurator aut commiſſarius curiæ, fratres ad eorum præſentiam cum obedientia venientes, ad nullam aliã prouinciam præterquã ad Romanam deſtinare poſsint, eoſq́; in ea retinere, niſi dum huiuſmodi fratrum negotia expediantur. Fratres verò hincinde euntes, nullo modo per vrbem tranſire poſsint, niſi fortè, pro prouinciarum neceſſitatibus, mitterentur ad curiam: & in hoc caſu portent literas cambij, vel ferre faciant per aliquem, neceſſarias pecunias, pro ſatisfaciendis diplomatibus, & expeditionibus ſuis. Et quando ſunt in aracœli, præſentent ſe procuratori, vel cõmiſſario reſpectiuè, & expoſitis ſibi negotijs, poſt tres dies recedant, relinquentes negotia expedienda, per dicta curiæ officiales. Qui ſint contenti, ſocios habere religioſos, honeſtos, & exemplares, & apoſtatas omnes, ad proprias

remit-

remittere prouincias.

De miniſtris prouincialibus.

¶ Prouinciales miniſtri eligantur, in ſuis prouincialibus capitulis, per ſua prouinciæ guardianos, & locorum diſcretos, in quorum electione, omnino ſeruetur eadem forma, quæ ſupra in generalis miniſtri electione fuit ſeruata. Et ſi aliqui defuerint vocales, ſuppleantur. Tres tantum diſquiſitores de corpore capituli inſtituentur, de conſilio diffinitorum præcedentis capituli. Et diſcreti locorum eligantur per fratres commorantes in eodem conuentu, in quo talis diſcretus eſt eligendus: & qui non ſteterit ſaltem per menſem de familia in loco aliquo, in eodem non habebit vocem, ſed in eo à quo immediatè receſsit. Studentes forenſes, in loco vbi cauſa ſtudij, de familia morantur, vna cum lectore forenſi, vocem actiuam tantũ habere poſſunt. Electio miniſtri. Diſcreti quomodo eligantur.

¶ Fratres etiam profeſsi tam clerici, quam laici, nullam habebunt vocem, in electione diſcretorum, niſi elapſo à ſuſcepto habitu, triennio integro. Guardiani etiam habebunt vocem actiuam in electione diſcreti loci ſui, quemadmodum prouincialis miniſter habet eandem actiuam, in electione cuſtodis ad generale capitulum deſtinandi. Iuuenes non niſi elapſo triẽnio in religione votum habebunt. Miniſter habet votum in electione cuſtodis.

¶ Siquis frater ad dicti diſcreti electionem, ſeu ad alios capitulares actus, conuenire noluerit, voce actiua & paſſiua, ſit per triennium, ipſo facto priuatus, & in prima publica refectione faciat per vnum Miſerere mei Deus, diſciplinam. Pœna nolentis votum dare.

¶ In loco vbi non ſunt quinq; fratres profeſsi, qui voce actiua & paſsiua non ſint priuati, non poſsit fieri diſcretus; & in tali caſu antiquior tempore & honore in religione, & non ſuſpenſus, ad capitulum vna cum guardiano accedat, quem miniſter & patres prouinciæ, ſi vocalibus non erit ingratum, poterunt, tanquam ſuppletum, pro dicto loco admittere.

¶ Nota etiam, ꝙ in conuentibus, vbi ſunt paucißimi fratres profeſsi & non ſuſpenſi, poſſunt inſtituere tantũ duos Diſquiſitores poſſunt etiam externi eligi.

diſquiſitores (ſi profeſsi,& electores id approbauerint omnes) alterius conuentus,qui vota ſingulorum audiant, ac electionem denuncient iam factam.

Miniſtri ſuo functi officio cõmiſſarij vocentur.

¶ Declaratur, ꝙ quamuis miniſtri prouinciales, per bullam vnionis finito triennio ſuo, ſint abſoluti ab officio ſuo,& pro abſolutis haberi debeant, tamen ſi ex bonis reſpectibus, vltra triennium cum conſenſu generalis miniſtri, aut commiſſarij generalis, capitulum prouinciale, differretur, in hoc caſu, miniſtri huiuſmodi, etiam tranſacto triennio, poſſunt auctoritate generalis capituli, tanquam commiſſarij, regere prouincias, vſq; ad celebrandum capitulũ, quo tempore non ſe miniſtros, ſed commiſſarios prouinciales ſubſcribent, & vocari facient.

Miniſtri immediatè ſuo functi officio habeãt ſuffragium in diffinitorio.

¶ Miniſtri prouinciales, in illo capitulo, in quo officio ſuo functi ſunt, habeant vocem, & ſuffragium in diffinitorio,& in electione guardianorum, & tabulæ confectione, & præcedant reliquos omnes durante capitulo, excepto miniſtro nouiter creato, poſtea verò, tenebunt ſuum locum ordinarium, pro tempore, dignitateq́; ſua. Nam, vt excludatur à diffinitorio, alio nouo creato, omnino indignum videtur, & ab omni ratione alienum, cum accidat ſæpè, vt qui cooptatur in miniſtrum, & diffinitores, nihil omnino ſciant de ſtatu prouinciæ, neq; ob id noſce poſsint, quid commodo, qui indigni, quique digni, quæ res puniri debeat, quodq́; remedium labentibus rebus, adhiberi oporteat, contra verò, miniſter ſuperior omnem prouinciam, rerumque ſtatum cognoſcat, fratrumq́; omnium naturas, & merita caleat.

Miniſtri ſuo functi officio non inſtituantur guardiani.

¶ Miniſtri prouinciales finito ſuo triennio, in eodem capitulo, ad officium guardianatus, promoueri non poſsint. Et vacare debeant, nec ad prædicti miniſtratus munus reaſſumi, donec alij duo miniſtri, functionem huiuſmodi ſubierint.

Miniſtri habeant de omnibus actis etiam iudicialibus regiſtrum.

¶ Omnes prouinciales miniſtri faciant regiſtrum de ordinatis, concluſis, & determinatis in capitulis prouincialibus,

libus, & de omnibus actibus alicuius importantiæ, necnon de carceratis, admonitisq́; canonicè, verum defectus propter quos puniuntur non ponantur in regiſtro.

¶ *Ordinamus etiam, ꝙ accedente morte miniſtri prouincialis in ſibi credita prouincia, cuſtos illius cuſtodiæ, in qua deceſſerit, teneat ſigillum, ſi verò non ſunt ibi cuſtodes, guardianus in cuius conuentu moritur; teneaturq́; quamprimum fieri poterit, in commodo loco congregare diffinitores, qui fuerunt electi in capitulo, immediatè præcedenti, & illos qui pro tempore fuerunt miniſtri, pro electione vicarij prouinciæ, in qua electione, dictus guardianus, vel vicarius ſi conuentus caruerit guardiano, habeat vocem actiuam & paſſiuam; ſicut diffinitores & præfati patres, & præſidebit. Et ille, in quem maior pars conſenſerit, erit vicarius prouinciæ, vſq; ad proximum capitulum celebrandũ.* Mortuo miniſtro ad quos ſpectet electio Vicarij prouinciæ.

¶ *Talis tamen electio abſq; generalium miniſtri, vel cõmiſſarij conſenſu celebrari, non poterit.*

¶ *Si verò moriatur, in terminis, duobus conuentibus ſuis, communibus, guardianus conuentus prioris in ordine, teneatur, vt dictum eſt, prouidere.*

¶ *Et ſi in terminis duobus ſuis conuentibus indifferentibus, moriatur, huiuſmodi prouiſio ad propinquiorem locum pertinebit. Interim tamen, ꝙ prouincia non habebit miniſtrum, acta prouinciæ, benè, duplici ſigillo, ſcilicet, prouinciæ, & conuentus ſigillata, manebunt penes ſocium ſcribam.*

¶ *Prouinciales miniſtri duos tantum habeant ſocios, modeſtos, religioſos, & exemplares. Nec mittant particulares commiſſarios, per prouinciam, niſi ex legitima cauſa & neceſſaria, & ad certum negotium, quo finito, ſtatim ceſſet commiſſionis officium.* Miniſtri non mittant cõmiſſarios niſi ad certã cauſam.

¶ *Nullus miniſter per commiſſionem datam ſibi à generalibus miniſtro, & commiſſario, in propria prouincia, ſecundum formam prouincialibus miniſtris dari ſolitam, etiam cum poteſtatis plenitudine, per hoc fiat exemptus à*

commiſſarijs, per dictos generales miſſis, ſed per omnia ei ſubijciantur perinde, ac ſi nulla eidem miniſtro facta fuiſſet commiſſio.

¶ Item nullus miniſter per commiſſionem ſibi datam, etiam cum poteſtatis plenitudine, poſsit aliqua in ſibi credita prouincia ordinare, aut ordinata immutare, aut contra ſtatuta prouincialia quæcunq; facere, ſine conſenſu patrum prouinciæ pro tempore exiſtentium, vel maioris partis vocaliũ, in capitulo prouinciali pro tempore exiſtentiũ.

¶ In capitulo intermedio, nulla erit poteſtas vocalibus, confirmandi miniſtrum, quaſi eum poſsint deponere, niſi ſuper hoc fuerit eis à generali miniſtro, vel commiſſario generali data poteſtas particularũ, ſed ipſe miniſter, poterit ſuo fungi officio vſq; ad exitum triennij. Nam ex hac conſuetudine confirmandi miniſtros, euenire ſolet, vt non rectè, quandoq; atq; intrepidè officio ſuo ſatisfaciant. Si tamen prouincia habet iuſtas quærelas contra miniſtrum, Tunc generales miniſter & commiſſarius poterunt legitima ſubſiſtente cauſa, per ſe, vel per commiſſarios ſuos, de conſenſu patrum prouinciæ eundem ſuo priuare officio.

Miniſtro mortuo extra prouinciam commiſſarius regat prouinciam.

¶ Nullus prouincialis miniſter, fines ſuæ prouinciæ exeat, niſi prius de conſilio patrum in prouincia inſtituat commiſſarium, & ſi contigerit, dictum miniſtrum, extra prouinciam mori, præfatus commiſſarius ab eo in prouincia relictus regat prouinciam, vſque ad nouam prouiſionem miniſtri, vel commiſſarij generalium, talis tamen commiſſarius non poterit celebrare capitulum, ſine expreſſo mandato prædictorum generalium, aut alterius eorum.

¶ Ordinatur etiam, q illi, qui pro tempore fuerunt miniſtri, in illa prouincia, in qua functi ſunt tali officio, habeant vocem in electione vicarij prouinciæ ſicut & diffinitores præcedentis capituli. Debeantq; à præſidente vocari ſicut & dicti diffinitores. Eodem modo fiet in inſtitutione noui guardiani extra capitulum, q ſcilicet vocentur ſicut & ad aliquem præfatorum guardianorũ depoſitionem, quando com-

do commode eorum præſentia haberi poterit. Dicti etiam patres functi officio miniſteriatus poſſunt habere gratum ſocium in prouincia in qua fuerunt miniſtri, qui eis inſeruiat & conuentui, in quo eſt, cum non eximamus eum propter hoc, ab obedientia ſui guardiani. Et præcedent cæteros, qui eodem munere miniſteriatus non fuerint functi.

Miniſtri functi ſuo officio poſſunt habere ſocium.

¶ *Nullum capitulum prouinciale, ubi nouus miniſter eſt eligendus, celebretur, niſi eidem capitulo prouinciali interfuerit vel ipſe generalis miniſter, vel commiſſarius generalis, hoc autem intelligi debet ſi ipſi generales miniſter, vel commiſſarius, degerint apud eam familiã ciſmontanam ſcilicet vel ultramontanam, ubi celebrandum eſt capitulum, vt de illo celebrando facilè prouideri queat ab eiſdem.*

Capitulum in quo eſt eligẽdus miniſter nõ ſi de licentia Generaliũ celebrari poteſt.

¶ *Miniſter Candiæ, non accedat ad capitulum generale, ſed mittat loco ſui commiſſarium, cum cuſtode, & ipſe regat prouinciam ſibi creditam, vſq; ad reditum noui miniſtri, qui nouus, viſitare præteritum, & iam functum officio, habeat, & viſitationem legitimè, & iuxta formam inferius traditam, factam, benè ſigillatam, mittat per fideles nuncios, ad generales miniſtrum vel commiſſarium.*

¶ *Terminata autem dicta viſitatione, miniſtri & fratrum, miniſter iam functus officio, poſſit ire Hieruſalem. Nec miniſter dictæ prouinciæ, debeat, aut teneatur, cauſa peregrinationis mittere fratres ſuos, ad loca ſancta, niſi primò ſteterint per triennium in illa prouincia, & quãdo aliquos mittit, debeat eis neceſſaria ſuppeditare, pro viatico & nauigio, & primò mittantur hieroſolymam, qui primò ſteterunt in eadem Cretenſi prouincia, & poſtmodum ordinatè, alij.*

¶ *Quilibet etiam miniſter prouincialis habeat ordinariam iuriſdictionem, auctoritate miniſtri generalis, excõmunicandi, ligandi, capiendi, incarcerandi, ac pœna alia puniendi omnes aliarum prouinciarum apoſtatas, ad ſuam diuertentes prouinciam.*

Miniſtri habeant plenam auctoritatẽ ſuper omnes apoſtatas.

¶ *Idem*

¶ Idem poſſint etiam guardiani, quando præſentia miniſtri intra triduum haberi non poteſt, ſimiliter & omnes fratres, in caſu neceſsitatis, quando citra ſcandalum ſeculi, bono modo fieri poteſt, & dicti prælati, non permittant apoſtatas ſuos, vel alienarum prouinciarum in ſcãdalum noſtri ordinis euagari.

Miniſtri & cuſtodes tenẽtur accedere ad capitulum generale.

¶ Miniſtri prouinciales teneantur, cum ſuis cuſtodibus accedere, ad capitulum generale. Qui cuſtodes in capitulo electi, poſtea ſuo munere functi, in numero patrum intelligendi ſunt: & teneantur ſecum ad capitulum portare litteras teſtimoniales ſub ſigillo miniſtri, & loci capituli prouincialis vbi eliguntur: & ſi aliquem cuſtodem, quoquomodo impediri contigerit, ſic ꝙ ad capitulum generale accedere non poſsit, per miniſtrum, & vocales, ſi adhuc in capitulo fuerint, vel ſi poſt capitulum, cum aliquibus patribus diſcretis, alius eligi, ſeu deputari poſsit. Dicti cuſtodes eligantur ſemper in prouinciali capitulo præcedente generale. In euentu etiam ꝙ miniſter prouincialis propter legitimum impedimentum, non poſſet ad ipſum capitulum accedere, poſsit cum conſilio, & aſſenſu patrum, loco ſui, inſtituere commiſſarium, qui vna cum dicto cuſtode accedat ad commitia generalia. Et declarat generale capitulũ ꝙ ſi miniſtri, & cuſtodes non legitimè excuſati, ſecundum iudicium generalis miniſtri, & vocalium capituli generalis, non acceſſerint ad capitulum generale, ipſo facto, ſint ſuis officijs, & voce actiua & paſsiua per ſex annos priuati: & ſuper hoc fiat diligens inquiſitio in capitulo generali.

Priuantur vocales non accedentes ad capitulum generale.

¶ Miniſtri etiam prouinciales, vel commiſſarij, remanentes in prouincijs, tempore quo vadunt fratres ad capitulum generale, non audeant in prouincijs ſuis capitulum celebrare, conuentum fratrum, aut aliquid notabile innouare, antequam patres ſuæ prouinciæ, redierint ex dicto capitulo generali niſi diſpenſationem aliquam particularem de aliquo arduo negotio, citra celebrationem capituli, fuerint

Commiſſarij vel alij tempore generalis capituli nihil innouent.

rint impetrati. Si tamen contingeret guardianũ aliquem, aut monialium ſiue ſororum confeſſorem, tale crimen committere in ordinis, & ſecularium perſonarum notabile ſcãdalum, propter quod, non poſſet eius punitio differri & priuatio, tunc in tali caſu, poterit præſidens prouinciæ punire & priuare criminoſum, & alium loco illius, in commiſſariũ loci, in quo fuit commiſſum crimen, vſque ad reditum patrum, ex dicto generali capitulo, ſubſtituere. Irritum & inane decernens quicquid fuerit contra præſens ſtatutum attentatum.

De commiſſarijs particularibus miſsis à generalibus.

¶ *Commiſſarij miſſi ad prouincias, per generales miniſtrum, aut commiſſarium, nihil ſuarum commisſionũ exequantur, donec miniſtris prouincialibus reſpectiuè, ſuas exhibuerint, aut per litteras, palam fecerint commisſiones. Rebellantes præfatis commiſſarijs, ſi fuerint prælati, à ſuis ſint depoſiti officijs, ſi ſubditi, actibus legitimis priuati, et tanquã conſpiratores in prælatos à proprijs expellantur prouincijs. Fratres verò prouinciæ, ad quam mittitur commiſſarius, proteſtatione facta, ad Reuerendisſimos patres præfatos, cauſas (ſiquas legitimas aduerſus commiſſarios habuerint) mittere poſsint, quas ſi inſufficientes, & non legitimas deprehenderint, dictos fratres iuxta menſurã delicti, puniant. Interim tamen commiſſarij miſſi, ſuas exequantur commisſiones, in ſibi creditis prouincijs.*

Rebellantes cõmiſſarijs qua pœna puniantur.

¶ *Nullus commiſſarius, à dictis patribus deſtinatus, poſſit aliqua in ſibi credita prouincia ordinare, aut ordinata immutare, aut contra ſtatuta prouincialia quicquam facere, ſine conſenſu patrum prouinciæ, vel maioris partis vocaliũ in capitulo prouinciali, pro tempore exiſtentium, niſi repugnauerint generalibus iſtis ſtatutis, & generalis miniſter in ſpeciali, pro bono prouinciæ, mandauerit id faciendum.*

Commiſſarij, in omnibus cõ modũ prouinciarum concernens exequantur cum conſenſu patrum.

¶ *Dicti autem commiſſarij à generalibus miſſi, poſt prouinciæ viſitationem, & capituli celebrationem, teneantur ad mi-*

Commiſſarij quando debent egredi.

ad minus intra viginti dies, exire præfatam prouinciam, aliter poſt talem terminum expiret eorum auctoritas, niſi fuerit ſibi in ſpeciali datum mandatum regendi prouinciam, poſt illud tempus.

Commiſſarij nõ mittant extra prouinciã fratres.

¶ Nullus talis commiſſarius, ex prouincia ſibi credita, ad alienas prouincias fratres deſtinare valeat, niſi eos, ad miniſtrum, aut commiſſarium generales, pro dictæ prouinciæ negotijs mittere contigerit.

Commiſſarij quomodo procedere debeãt in punitione miniſtri.

¶ Commiſſarius miſſus à generalibus, non poſſit corrigere prouincialem miniſtrum, niſi ex cauſa, & cum conſenſu maioris partis patrum prouinciæ, & ſi depoſitio eſſet infligenda, nihil fiat, ſine conſenſu generalium (miniſtri, videlicet, & commiſſarij) Sed ſi commiſiſſet crimen adeo ſcãdaloſum, quo meritò deberet ſtatim priuari, tunc præfatus commiſſarius de conſenſu maioris partis dictorũ patrum, poſſit eum priuare ſuo officio, maximè quando præſentia dictorum generalium, intra decem dierum ſpatium, haberi minimè poſſit.

Commiſſarius nõ puniat grauiter ſine capitulo.

¶ Nullus etiam commiſſarius poſſit priuare aliquem patrem, qui fuerit alias prouincialis miniſter, aut facere aliquam notabilem punitionem, vt puta carcerationem, ſeu priuationẽ, ſine conſilio & aſſenſu maioris partis capituli.

Commiſſarii non habent uotum in inſtitutione guardianorum.

¶ Præfatus etiam commiſſarius non habebit uotum in inſtitutione guardianorum & confeſſorum monialium ac ſororum in diffinitorio, ex ſua ordinaria commisſione, niſi generales miniſter, aut commiſſarius, ſuper hoc particularem dederit ei facultatem, benè tamen poterit, ſicut & debet, procurare, ne indigni ad huiuſmodi munera promoueantur.

Commiſſarij non mittantur ſine cauſa.

¶ Non paſſim etiam mittantur dicti commiſſarij, ad prouincias, niſi vel prouinciæ petant, aut generales, miniſter & commiſſarius, aliquid audiant indignum, puniendum videlicet, aut reformandum in prouincia aliqua, quod indigeret præſentia dictorum generalium, & tunc quando non valent ipſi ad eam præſentialiter accedere, alijs præpe

diti ne-

diti negotijs, tunc poterunt idoneos ad illam deſtinare commiſſarios.

¶ *Guardiani vltra triennium, non poſsint in ſuo perſiſtere officio, & in vno loco tantum per biennium: primo autem anno quo præficiuntur guardiani vacent poſtea poſt illum annum, per annum alterum, antequam ibi, vel alibi efficiantur guardiani. Qui guardiani in capitulo prouinciali & poſt, eligantur ſemper de conſilio diffinitorum, & de eorundem conſilio poſt capitulum deponantur, ſi contingat aliquos indigere priuatione: ſecundum limitationem tamen ſuperius in titulo miniſtrorum poſitam.* Guardianorum inſtitutio & depoſitio.

¶ *Poſthac ſingulis ciſmontanis prouincijs integrum erit, ſi placuerit miniſtris & maiori parti patrum, quolibet anno ſua celebrare prouincialia capitula, quando tamen erit (iuxta præmiſſa) habenda auctoritas generalium, primò habeatur, antequàm dicta capitula celebrentur.* Prouinciale capitulum, ſingulis poterit celebrari annis.

De prædicatoribus, ac ſecularium confeſſoribus, & de his qui eos inſtituere habeant, & vbi, de conditionibus eorundem prædicatorum & confeſſorum, ac ætate, & quomodo in fide ſuſpecti puniuntur, ſimiliter quòd nullus ſine licentia tradat prælo libros ac impreſſioni. Cap. IX.

FRatres non prædicent in epiſcopatu alicuius epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum, nec in alienis eccleſiis, in ordinis ſcandalum & dedecus: liceat tamen eiſdem fratribus, vbi pro tempore fuerit conſuetum, vt in quadrageſima, proceſsionibus, & ſimilibus cum prælatorum ſuorum licentia, prædicare.

¶ *Nullus etiam fratrum, populo audeat prædicare, niſi à generali miniſtro fuerit examinatus, & ab eo, vel à prouincialibus miniſtris, in ſuis prouincialibus capitulis, vel ab alijs, quibus per generalem miniſtrum fuerit commiſſum, & ſibi officium prædicationis conceſſum, & tale prædicandi officium, præuia examinatione, & approbatione iniunctũ. Poſsint nihilominus præfati miniſtri, reuocare, ſuſpendere, & arctare, quotiens, ſicut, & quomodo, eis videbitur* Prędicatores examinentur.

expedire. Nec ad tale officium, quempiam admittant, niſi ſit ſacerdos, vel diaconus, & ætatis ad minus. 25. annorum, competentis litteraturæ, vita ac moribus comprobatus, cuius doctrina, meritò populi ædificari valeant, & in ſingulis prouincijs de nouo à generali miniſtro, vel eius commiſſarijs in proximis earundem capitulis, omnes prædicatores & etiam confeſſores hactenus inſtituti, examinentur, & ſi qui inuenti fuerint minus idonei, ab huiuſmodi officiorum executione de patrum conſilio ſuſpendantur, & de cæterò diligentiſsimè inſtituantur.

Prædicatorũ conditiones.

¶ *Promoti ad prædicationes & confeſsiones, per alios, quam per generales, extra ſuam prouinciam; non poſsint redeuntes ad proprias prouincias officia ipſa exercere, ſine conſenſu patrum, vel capituli ipſius prouinciæ.*

Prædicatores & confeſſores in capitulis inſtituantur.

¶ *Nullus ad prædicationes, ſeu ſecularium confeſsiones, promoueatur, niſi in capitulis prouincialibus, vbi eorum mores, & cognoſcantur, & approbentur, & qui aliun de fuerit inſtitutus, ex nunc, niſi à generali fuiſſet promotus, pro ſuſpenſo, & priuato habeatur.*

¶ *Nulli fratrum, cuiuſcunq; exiſtat dignitatis aut gradus, litteræ, vbilibet prædicandi, cum annexis ſolitis auctoritatibus (quas Apoſtolicas vocãt) amplius concedãtur.*

Prædicatores vno ſint contenti ſocio.

¶ *Et vt fratrum vagus euitetur diſcurſus, Deinceps prædicatores, non mittantur prædicaturi, ad alienas prouincias, niſi vrgente neceſsitate, & tunc vnico ſocio ſint in itinere contenti.*

Prædicatores quomodo circa eleemoſynas ſe habere debeant.

¶ *Prædicatores, etiam eleemoſynas eis prætextu prædicationis oblatas, non recipiant, nec de eis ſe intromittant, maximè quando in proprijs concionantur prouincijs, ſed guardiano conuentus liberè aſsignentur. Guardiani tamen teneantur de omnibus neceſſarijs prædictis prædicatoribus prouidere, & ſi hoc guardiani non fecerint, conuicti puniantur ad arbitrium miniſtri, et in tali caſu licebit, iuſto titulo, & ſine ſcandalo, prædicatoribus, maximè extra ſuas miſsis prouincias, ſibi neceſſaria procurare.*

¶ *Nemo*

¶ *Nemo ſecularium inſtituatur confeſſarius, niſi anno rum fuerit 30. cum natu minores, vix habeant eam perſo nam & grauitatem quæ tantum decet officium.* Confeſſores ſecularium 30. ſint annorum.

¶ *Pro illo quod ponitur in hoc capitulo regulæ, videlicet,* Moneo quoq; & exhortor eoſdem fratres, vt in prædicatione quam faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia, ad vtilitatem, & ædificationem populi, annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam & gloriam cum breuitate ſermonis, &c.

¶ *Caueant omnino præfati prædicatores, ne præſumant quicquam prædicare contra Romanæ eccleſiæ libertatem, vel eccleſiaſticis perſonis detrahere, vel (quod abſit) ſcandalum, contra clerum, vel religionem aliquam, excitare, vel perſonam aliquam præſentem criminaliter nominare: ſed potius, contra hæreſes, & ſchiſmata, populos dirigere, & fideliter animare, & in orthodoxæ fidei veritate firmare, contraq; præſentem ſathanicam, & damnatam lutheranorum hæreſim, in aliqua ſermonis parte (prout expedire videbitur) maximè inuehatur.*

¶ *Siquis autem contra ſtatum, honorem, dignitatem, & eccleſiaſticam libertatem, temerariè præſumpſerit prædicare, ipſo facto, prædicationis officio, & omni actu legitimo ſit priuatus.*

¶ *Quòd ſi poſt dictam priuationem, præſumpſerit prædicare, per ſuos prælatos, appellatione poſtpoſita, vel alio ſubterfugio, carceribus mancipetur, qui prælati, ſi in prædictis, negligentes fuerint, in eandem pœnam, ſe nouerint incidiſſe, niſi legitima & rationabili cauſa, de impotentia ſe valeant excuſare.*

¶ *Præcipitur etiam omnibus, & ſingulis fratribus, cuiuſcunq; gradus, aut conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne de cætero aliquis eorum publicè vel priuatè, audeat dogmatizare, prædicare, defendere, ſeu approbare aliquàm doctrinam, concluſionem, vel ſententiam erroneam*

& ſuſpectam in fide, hæreticam, damnatam, vel contra bonos mores, deteſtando fructum pœnitentiæ & auſteritatis vitæ, exaltando carnalem amorem: ſeu talia dogmatizantibus prædicantibus, vel defendentibus, aliquem fauorem impendere; aut cum talibus conuerſari, & familiaritatem habere; aut libros damnatos & hæreticos, ſine ſedis apoſtolicæ auctoritate apud ſe retinere. Si quis autem præfatis (quod abſit) aut alicui eorum contraire præſumpſerit, & canonicè monitus, non reſipuerit, ſtatim debeat à ſuo locali, aut prouinciali prælato, carceribus mancipari: à quibus ſine miniſtri generalis licentia ſpeciali, & expreſſa, nullatenus liberari valeat. Si autem prælati, in huiuſmodi decreti executione inuenti fuerint negligentes, ſtatim ab officijs ſuis depoſiti intelligantur.

Liber nullus prælo detur abſq; ſuperioris licentia.

¶ Deinceps, nullus audeat per ſe, vel per alium, tradere prælo, ſiue imprimere, aut publicare libros, ſine ordinarij, & generalis miniſtri licentia in ſcriptis: & præfatus generalis miniſter, opera illa committat aliquibus probis & doctis perſonis examinanda, & ſic approbata, & examinata, cudendi, ſeu publicandi, licentiam concedat. Si quis autem contrarium fecerit, ipſo facto, omnibus actibus legitimis ſit priuatus.

¶ Præcipimus etiam per ſanctam obedientiam, in virtute ſpiritusſancti, omnibus fratribus, ne in ſermonibus publicis aut priuatis, ſiue confeſſionibus vel aliquo quouis alio modo, verbo vel facto, publicè vel ſecretè, per ſe vel per alios, pedagia ſecularium rerum, defraudent. Si quis contrarium fecerit, iuxta menſurā delicti, erit ad arbitrium miniſtri, & plagarum modus.

Pedagia non ſunt defraudanda.

Confeſſiones mulierum, audiantur in loco patenti.

¶ Confeſſiones mulierum audiantur in aliquo eccleſiæ loco patenti, vel alio loco honeſto ad hoc deputato: & nullus frater pro confeſſione audienda, ſeu alia quacunq; de cauſa, iuxta mulierem ſtet, vel ſedeat, niſi ipſe, & ſocius liberè poſſint ſe mutuo videre, quando fieri poſſit bono modo.

Quo-

Quomodo prælati in viſitando fratres, & corrigendo, formam ſeruare debent canonicam, maximè in neceſſarijs ad recta iudicia, de perſona iudicis, modo conuicendi reos, de confeſſis, appellationibus, de quibuſcunque alijs, in quibus quis poteſt ſe præſtare iuſtum iudicem. Cap. X.

FRatres, qui ſunt miniſtri & ſerui aliorum fratrū viſitent & moneant fratres ſuos, &c.

¶ *Vt autem prælati ordinis noſtri, in ſuis viſitationibus, inquiſitionibus, correctionibus, & proceſſibus iuridicè, ex lege Dei, & ſecundum formam canonicam procedant: placuit nobis generali miniſtro moderno, tradere illis iudiciarium modum procedendi in iudicio, iuxta ſententiam doctorum, & ſacrorum canonum, & maximè noſtri Alexandri de Ales in tertia parte ſuæ ſummæ.*

¶ *Pro quo notandum, ꝙ licet habeatur in declarationibus regulæ, & ſtatutis noſtris, conformiter ad capitulum, Ad hæc, de dolo & contumacia, ꝙ in eccleſiaſticis perſonis, & negotijs, rigor & diſtrictio iuris, non requiritur; ibidem tamen ſubdit papa, ꝙ hoc tantum habet vim, vbi iuſtitia, propter hoc non periclitatur.*

¶ *Vbi nota ꝙ ex hoc prælati pro arbitratu ſuo, non debent in ſuis iudicijs procedere, ſed ex lege Dei, ſecundum ordinem eccleſiæ, vnde beatus Auguſtinus ſuper illud primæ Corinth. 6. Secularia negotia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in eccleſia illos conſtituite ad iudicandum, inquit, Noluit homines ab homine iudicari, ex arbitrio ſuſpitionis ſeu extraordinario, vſurpatoq́; iudicio, ſed potius ex lege Dei, ſecundum ordinem eccleſiæ, ſiue vltro confeſſum, aut conuictum. Et vt prælati noſtri ſciant quomodo in dictis iudicijs debeant procedere, eſt ſciendum, ꝙ ſecundum iura, triplices ſunt iudices, quidam ſunt ordinarij, qui ab apoſtolico iure, vt eccleſiaſtici; vel imperatore, vt ſcholares; legitimam accipiunt poteſtatem, ſecunda quæſt. 6. cap.* Iudicium qualiter fiendum. Iudices ſunt triplices. Iudices ordinarij qui ſint.

A iudi-

A iudicibus. Vel ſunt, quibus ex dignitate, vel officio, cui annexa eſt iuriſdictio, conuenit iudicare, & hoc modo, generales, & prouinciales miniſtri, ſunt iudices ordinarij, quibus ex officio eorum, licet delinquentes iudicare. Quidam arbitrarij, qui nullam poteſtatem habentes, cum conſenſu litigantium in iudices eliguntur; vt habetur ibidem, in quos compromittuntur, vt eorum ſententiæ ſtetur, à quibus non licet appellare, quia eis imputandum eſt, qui tales ſibi elegerunt iudices.

Iudices arbitrarij qui ſunt.

¶ Horum autem, quidam ſunt tantum arbitrarij, de quibus vt ſupra, Quidam verò ordinarij, & arbitrarij, & ſunt hij, qui legitimam poteſtatem habentes, ab eis eligun tur ad arbitrandum, qui non ſunt ſuæ iuriſdictioni ſuppoſiti; vt ſi ſit controuerſia inter confines, & quæſtus duarum prouinciarum, & earũ miniſtri compromittant litem ſuã in miniſtrum alterius prouinciæ, ille tertius, licet ſit ordinarius in prouincia ſua, ab illis tamen duobus miniſtris eligitur in iudicem, qui non ſunt ſuæ iuriſdictioni ſubiecti, & ex tali compromiſſo, licet iudicare, & terminare litem, & non ex ſua ordinaria. Alij ſunt delegati, quibus vna vel plures cauſæ, ab eo, qui habet iuriſdictionem ordinariam; vt à generali, vel extraordinariam; vt commiſſario ſuo particulari, inſtituto cum poteſtatis plenitudine: committuntur iudicandæ. Vel delegatus eſt, cui ex ſpeciali commiſſione ordinarij iudicis, conuenit in certa cauſa iudicare: huiuſmodi iudex, non poteſt ſubdelegare alteri ſibi commiſſas cauſas. Ex quibus elicio, ꝙ commiſſarius deſtinatus à generali ad aliquam prouinciam cum poteſtatis plenitudine, non eſt delegatus, ex quo non vna tãtum, vel plures cauſæ ſibi committuntur iudicandæ: ſed legatus aut extraordinarius, qui poterit ſubdelegare, & ad aliquã cau ſam determinatam, in ſibi credita prouincia, alium ſubſtituere.

Iudices delegati.

Delegatus nõ poteſt ſubdelegare.

¶ Sed quia, vt ſcribitur Deutero. primo, Dei iudicium eſt, Ideo iudex in iudicando vicem Dei gerit, & in tribus

Iudex vicem Dei gerit.

debet

debet ſibi conformari, ſcilicet, in poteſtate, in veritate, & i n bonitate. Poteſtas in auctoritate. Veritas in iudicio ſiue diſcretione. Et bonitas, in rectitudine animi, & vita. Vnde Deutero. 16. Iudices & Magiſtratus conſtitues in omnibus portis. Ex tali enim conſtitutione habetur eorum auctoritas, vt iudicent populum iuſto iudicio. *Ecce veritas iudicij.* Nec in alteram partem declinent. *Ecce rectitudo animi & vita.* Iudex in tribus debet Deo conformari.

¶ Et nota ꝙ aliquæ perſonæ non ſunt idoneæ ad iudicandum quia carent poteſtate, & hoc vel ratione ſexus, vt mulier cui dicitur ſub poteſtate viri eris, vel ratione conditionis fortunæ, vt ſeruus, de quo ſcribitur, ſerui ſubditi eſtote, cum omni timore.

¶ Aliæ excluduntur ab officio iudicis; quia carent diſcretione, & iudicio veritatis, & hoc vel ad tempus, vt minor ætate, vel ſemper, vt iudex ſurdus, mutus, aut perpetuò furioſus, Aliæ excluduntur propter defectum bonitatis, & hoc aut propter crimen erroris, vt hæretici, aut propter contagium conuerſationis, vt excommunicati, aut propter ignorantiam, vt extranei, & incogniti. Propter etiam ſuſpicionem malitiei excluduntur inimici rei; vel aliqua alia cauſa ſuſpecti, s. q. s. Iudex quis nõ debeat inſtitui.

¶ Duplex eſt iudicium, ſcilicet, temerarium, quod prohibetur, & ordinatum ſecundum legem Dei, quod conceditur homini. Et hoc etiam eſt duplex, ſcilicet, diſcretionis, quod eſt in manifeſtis, & certis. De quo primæ Corinth. 2. Spiritualis homo iudicat, & ipſe à nemine iudicatur. Et correctionis, quod conceditur prælatis. De quo in pſalmo, erudimini qui iudicatis terram. Iudicium eſt duplex.

¶ Temerarium autem poteſt eſſe, vel ex parte iudicantis, vel ex parte rei iudicatæ. Primo modo, tripliciter, ſcilicet, vſurpatiuè, de quo Auguſtinus ſuper illud, quis es tu, qui iudicas inquit. Noluit hominem ab homine iudicari, extraordinario, vſurpatoq; iudicio. Indignitate, de quo ad Romanos. 2 In quo alterum iudicas, teipſum condemnas; Iudicium multipliciter eſt temerarium.

eadem enim agis quæ iudicas. Et per ignorantiam, de quo Daniel. 13. Sic fatui eſtis filij Iſrael, non iudicantes, neq; quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſrael?

¶ Secundo modo, ex parte rei iudicatæ & hoc tripliciter, primò quando iudicatur perſona, quantum ad euentũ futurum, vnde Glo. ſuper illud. Nolite iudicare. Neſcimus qualis futurus eſt, qui nunc apparet malus, de cuius correctione deſperare, temerarium eſt.

¶ Secundò quando iudicatur intentio incerta, vnde ab Auguſtino vbi ſupra dicitur, Sunt quædam incerta quo animo fiant; & ad Roma. 14. Manducans non manducantem, non iudicet.

Iudicium non debet fieri de occultis aut incertis.

¶ Tertiò quando iudicatur factum occultum, de quo prima Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare. Homo enim non poteſt eſſe iudex alterius de incertis, & occultis: cum de talibus. Pater omne iudicium dedit filio. Ioan. 5.

Iudex & teſtis ſimul quis eſſe nequit.

¶ Licet etiam iudex malus, de merito & idoneitate, nõ poſsit ſubditos bonos iudicare; poteſt tamen de poteſtatis officio. Iudex etiam non poteſt in eadem cauſa eſſe teſtis. Vnde Bonifacius. 4. q. 4. Nullus vnquam præſumat, accuſator eſſe, ſimul & teſtis. Quoniam in omni iudicio, quatuor perſonas neceſſe eſt eſſe. Iudices electos. Accuſatores idoneos. Defenſores congruos, atq; Teſtes legitimos. Et Auguſtinus, in homilia de pœnitentia, ait. Quod nemo audeat iudex fieri ſimul & accuſator. Iudex enim eſt perſona media, quæ in nullam partem declinare debet. Inferior etiam licet poſsit monere ſuperiorem, vt patet de Bernardo, qui ad Eugenium papam dixit. Moneo te, non arguo. Arguere enim propriè eſt ſuperiorum, vt patet per Paulum ad Timotheum. Argue cum omni imperio; Poteſt tamen reprehendere ſuperiorem, cum reprehenſio magis fiat verbis quam verberibus, non tamen poteſt iudicare, quod propriè eſt ſuperiorum Sapi. 6. Audite reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ.

Inferior poteſt monere ſuperiorẽ non iudicare.

Iudex non iudicat ſecũdum conſcientiam.

¶ Iudex etiam non poteſt ſecundum conſcientiam iudicare,

care, loquendo de conſcientia facti, & non iuris, vnde Ambroſius ſuper Beati immaculati, inquit, ꝙ bonus iudex, nihil paratum, aut meditatum de domo refert; ſed ſicut audit iudicat; & nihil ex arbitrio ſuo facit. Sed iuxta leges & iura pronunciat. Et Auguſtinus, vbi ſupra. Multi corriguntur vt Petrus, multi tolerantur vt Iudas, multi neſciuntur quouſq; veniat dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum. Nos verò à communione quemquam prohibere non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut conuictum.

¶Pro quo nota, ꝙ conſcientia iuris eſt, quæ iudicat ſecundum allegata, & diligenter diſcuſſa, & ſecundum iſtam, iudex iudicare debet, & non ſecundum conſcientiam facti. Aliud eſt enim iudicare iudicij veritatem; aliud iudicare veritatem. Quia veritas iudicij, eſt reſpectu conuictionis, vel probationis rei legitimæ. Veritas verò facti, eſt reſpectu facti, vel rei, quæ eſt, vel non eſt, & talis eſt conſcientia facti, quæ formatur ex ipſa facti opinione, vel ſcientia. Conſcientia iuris quid. Iudicare veritatē & iudicij veritatem non idem.

¶Et quia ſcriptum eſt. Innocentem non condemnabis, dicit Alexander de Ales in 3. parte ſummæ, ꝙ iudex laborare debet quantum poteſt (ſalua iuſtitia) ad repellendum accuſationem contra eum, quem ſcit innocentem: & ad repellenda teſtimonia. Si tamen contingat, ꝙ nulla exceptione iuris, accuſationem vel teſtimonium repellere poſſit, nec aliqua occaſione ſententiam differri contingat, conſilium eſt, vt remittat ad iudicium ſuperioris, cui ſignificet veritatem, quam nouit. Superior autem poteſtas, quæ nulli ſubeſt: de poteſtatis plenitudine, poteſt iuris ſententiam mitigare, ſeu remittere. Si tamen ſine ſcandalo iudiciū non poteſt differri, dicitur, ꝙ ſi condemnaret innocentem, cum dolore tamen, non eſſet reus: quia iudicaret conuictum nocentem. Innocens aliquando damnatur.

¶Si quæratur, an iudex poſſit ſine miſericordia animaduertere in reum, videtur ꝙ non: cum Iacobi. 2. ſcribatur. Iudicium ſine miſericordia, his qui non faciunt miſericordiam. Peccator cum punitur cū ipſo miſericorditer agitur.

diam. Dico conformiter ad beatum Ambro. in libro de officijs, ꝙ eſt iniuſta miſericordia. Et paulo poſt, non nè iudex cum indulget indigno, ad prohibitionis contagium, prouocat vniuerſum? facilitas enim veniæ præbet incentiuum delinquendi. Miſericorditer ergo punitur vnus, vt ſaluentur multi. Sicut miſericorditer abſcinditur vnum membrum putridum, ne ſana pars corrumpatur, vel lædatur. Beatus igitur Ambroſius intelligit, ꝙ non eſt miſerendum perſonæ, in detrimentum multorum.

Miſerendum non eſt alicui, in præiudiciū multitudinis.

℄ Iudex etiam poteſt in ſe delinquentes punire, non intuitu perſonæ ſuæ, aut propriæ excellentiæ, & honoris; ſed intuitu Dei, & eccleſiæ, cuius eſt paſtor. Vnde beatus Ambroſius inquit, ꝙ ad præces Heliæ, ignis deſcendit de cælo: vt vindicaretur prophetæ iniuria, quæ cenſenda non eſt, niſi iniuria Dei. Vnde per hoc ꝙ ignem de cælo poſtulauit, non cuius meriti eſſet apud deum uoluit oſtendere; ſed ꝙ ipſe eſſet verus Deus, quem colebat.

Iudex quomodo poteſt in ſe peccantes punire.

℄ Defectus etiam puniri debent, tribus concurrentibus, videlicet. Iuriſdictione, Conuictione, & Pace, ſcilicet, ſalua eccleſiæ vnitate.

Defectus quomodo puniri debent.

℄ De primo Auguſtinus ſuper priorem epiſtolam ad Corin. c. 6 De his qui foris ſunt, cum non ſint noſtræ iuriſdictioni ſubiecti, dominus iudicabit, ab his verò, qui intra nos ſunt, ideſt fidelibus, putredo reſecanda eſt.

℄ De ſecundo idem Auguſtinus vbi ſupra cap. 12. Si iudex es, Si apud te accuſator ſit. Si veris teſtibus conuincitur: coerce, corripe, excommunica, dègrada.

℄ De tertio ideſt pace eccleſiæ, præfatus Auguſtinus, in epiſtola, contra epiſtolam Parmeniani. Quandocunq; crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, ſi tales non habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere: non dormiat ſeueritas diſciplinæ; & infra. Cum quis Chriſtianorum in aliquo peccato fuerit deprehenſus, vt anathemate dignus inueniatur: fiat hoc, vbi periculum ſchiſmatis nullum ſit. Medicina enim non debet eſſe morbo deterior,

Punitio quomodo aliquando differenda.

prope-

propterea in talibus, ad tempus eſt differenda pœnitentia. Vnde dictus Auguſtinus in de conflictu vitiorum. Errata delinquentium, quandoque, ad tempus, ſilentio, tegenda ſunt: vt aptiori tempore corrigantur.

¶ *Cæterum Innocentius tertius in concilio generali, ad corrigendos exceſſus (dimiſsis notorijs, de quibus infra) tribus modis poteſt procedi, videlicet per accuſationem, denunciationem, & inquiſitionem, & in omnibus his diligẽs adhiberi debet cautela: ne per leue compendium, ad graue deueniatur diſpendium.* Iudex in corrigendos tribus vijs procedere debet.

¶ *Iuriſperiti diſtingunt, ꝙ in accuſatione agitur ad degradationem, & amotionem ab officio, & ideo accuſator debet ſe inſcribere, ideſt obligare ad pœnam contrapaſsi, vel talionis, quæ innuitur per inſcriptionem. Et talis proceſſus accuſationis ſumitur Deutero. 25. Si cauſa inter aliquos fuerit; & interpellauerint iudices: quem iuſtum eſſe perſpexerint, iudicabunt.* In accuſatione qd agatur.

¶ *In denunciatione agitur ad pœnitentiã & correctionem, ſecundum affectum miſericordiæ, & non ſeueritatem iuſtitiæ, prout fit in accuſatione, Ideo debet præcedere charitatiua admonitio. Et dictus proceſſus accipitur, Leuitici 5. Vbi dicitur ꝙ anima quæ audierit vocem iurantis (ſcilicet falſum, ſecundum Glo. interlinearem) teſtiſq; fuit, aut conſcius: niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam. Vbi Auguſtinus, ꝙ indicare debet ei, qui prodeſſe poteſt, & non obeſſe: & iſta indicatio eſt denunciatio, de qua, in c. In omni negotio, de teſtibus & atteſtationibus, traditur forma, ſecundum quam debet denunciare crimen alterius. Qui enim alium vult denunciare, primò admoneat illum, inter ſe & ipſum ſolum; iuxta illud Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum, inter te, & ipſum ſolum, & habetur pro vnõ teſte, quantum ad probandam admonitionem: & ſi non corrigitur adhibeat vnum ſecum, & ſic erunt duo teſtes: & ſi adhuc ſe non corrigit, adhibeat duos, & erunt tres, in ore enim duorum vel trium* In denunciatione agitur ad pœnitentiam. Denunciatio qualiter fienda.

ſtat omne verbum: poſtea dicat,& denunciet prælato.

In inquiſitione agitur ad amotionem ab adminiſtratione.

¶ In inquiſitione, agitur, ad amotionem ab adminiſtratione & executione officiorum: & quia in prælatis eſſet periculoſum, ſi quæcunq; delatio admitteretur; Ideo inquiſitionem debet præcedere clamoroſa inſinuatio, vel infamia: quæ non intelligitur ſecũdum voces vulgi, quæ vanæ ſunt, ſecundum iura; ſed ſecundum voces perſonarum grauiũ, & honeſtarum. Vnde dictus Innocẽtius ait, Si exceſſus, per clamorem, vel famam, ad aures ſuperioris peruenerint: non quidem à maliuolis, & maledicis; ſed à prouidis & honeſtis, nec ſemel tantum, ſed ſæpe; debet coram eccleſiæ ſenioribus, veritatem diligentius perſcrutari. Et hoc fit, vt falſæ & malignæ criminationi præcludatur ianua. Vnde enim iura procedunt, iniuriæ non debent naſci.

Quomodo clamoroſa inſinuatio non eſt ſecundum voces vulgi.

¶ Proceſſus inquiſitionis ſumitur. Lucæ. 16. Vbi dicitur, de Villico, qui diffamatus fuerat apud dominum ſuum. Red de rationem villicationis tuæ. Et Gene. 18. Clamor ſodomorum multiplicatus eſt, deſcendam & videbo, ſi clamorem, qui ad me venit, opere compleuerint.

Ordo iudiciarius qualiter diſponendus.

¶ Ordo etiam iudiciarius ſic eſt diſpoſitus, vt primò, actori vel accuſatori; detur requiſitio iudicis, cum nullus poſsit eſſe iudex in cauſa propria.

2 Determinatur iudicis auctoritas, de qua, Deutero. 16. Iudices, & Magiſtratus conſtitues, in omnibus portis. Ex ipſa enim conſtitutione ſumitur auctoritas.

3 Sequitur citatio rei, & eius contumacia: De qua numerorum. 16. Miſit Moyſes, & vocauit Datan & Abiron citando eos, vt comparerent coram illo in iudicio: & ibi exprimitur contumacia; quia dixerunt, non venimus. Nullus enim abſens, poteſt damnari: niſi fuerit abſens ex contumacia, citatio enim eſt de iure diuino, Vnde, Actuum. 25. feſtus dixit. Non eſt Romanis cõſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores: locumq; defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur, & Ioan. 7. dicit Nicodemus, Nunquid,

Abſens non dãnatur niſi propter contumaciam.

quid, lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo: & cognouerit quid faciat?

4 Conceduntur exceptiones, quæ ſunt quædam excluſiones, quæ interponuntur actioni, cuiuſlibet rei, ad excludendum id quod in intentionē, condemnationemq́ deductum eſt, & ſunt, quando in perſona teſtium crimina obijciūtur, vt puta, ꝙ ſunt infames, excommunicati, confeſsi, vel conuicti de crimine in iudicio. Exceptiones quæ ſint.

5 Admittuntur recuſationes, ſeu declinationes, vt puta à iudice ſuſpecto.

6 Formatur libellus, quē accuſator offert iudici, ſub hac forma. Ego. N. coram vel apud prælatum ſeu iudicem talem, refero. N. rerum legis Iuliæ, de adulterio, quod commiſit cum. N. dum eſſet cum ea, menſe tali, in domo tali, regnante tali conſule. Et dicitur etiam inſcriptio, quia obligat accuſatorem, ſi crimen non probauerit quod impoſuit, ad talionis pœnam. Forma libelli.

7 Determinantur ſatisdationes, quas nos in lingua Itala dicimus, ſicurtà.

8 Admittuntur dilationes.

¶ *Vltimò ſequitur litis conteſtatio cum iuramento de calumnia, quo iurant partes, ſe non animo calumniandi, agere vel reſpondere.* Iuramentum de calumnia quid.

¶ *Introducuntur tamen talia ſecundum canones, quædam, in fauorem actoris, quædam in fauorem rei, quædam, in ſuffragium vtriuſque.*

¶ *Primo modo introducitur, requiſitio iudicis, locus, & auctoritas iudicantis, modus citationis, & punitio contumacis.*

¶ *In fauorem rei, introducuntur exceptiones, quæ elidunt actiones actoris, principaliter contra malignitatem voluntatis. Recuſationes propter ſuſpicionem, contra peruerſitatem poteſtatis: libellus, qui continet intentionem actoris, ne poſsit poſtea ſe immutare, contra peruerſitatem veritatis.*

¶ *Inſu-*

¶ In ſuffragium vtriuſq; introducuntur ſatiſdationes, quæ dantur à reo, & procuratore actoris, ꝙ vſque in finem litis permanebit contra iniuſtam declinationem iudicij. Dilationes, quæ dantur ad deliberandum, contra præcipitationem conſilij, & iuramentum de calumnia.

¶ Et omnia iſta ſunt conſona iuri diuino. Leuit. 19. Iuſtè iudica proximo tuo. Lex enim Dei licet ſit ſufficiens ad omnia, quæ ſunt neceſſaria, tamen quia infinita eſt hominũ malitia, ideo miniſtris legis reliquit ſtatuere, & determinare, quæ ſunt expedientia. Ideo Deuter. 17. dicitur. Qui ſuperbierit nolens ſacerdotis imperio obedire, decreto iudicis morietur.

¶ Sed quia ſuperius dictum eſt, ꝙ iudices, in confeſſos & conuictos poſſunt tantum animaduertere: ideo, vt in hoc iudices ipſi ſciant, quomodo erga tales ſe habere debeant.

Confeſsio propria quid operetur in iudicio.

¶ Eſt ſciendum primò quo ad confeſſos, ꝙ Clemens tertius, in c. cum monaſterium, de confeſsis, inquit, Eos quorum ſuggeſtione ſcelus homicidij ſe presbyter perpetraſſe proponit: niſi alijs modis verum eſſe conſtiterit, nulli cenſemus pœnæ ſubdendos: cum ſecundum vtriuſq; iuris ſtatuta, de ſe confeſsi: ſuper aliorum conſcientijs interrogari non debent: & de reatu proprio confitentis, periculoſa confeſsio, non eſt aduerſus quẽlibet admittenda. Si tamen eos infamia huiuſmodi, laborare cognoueris, purgationem iniungas canonicam. Militat ergo confeſsio illa contra confitentem, cum ex ore ipſius iudicetur, ſed non contra ſceleris ſocios.

Confeſſio con ſocij non militat contra ipſum.

¶ Siquis igitur confiteatur conſocium criminis, non eſt teſtis idoneus, ſecundum leges, contra ſocium: nec talis confeſsio facit indicium contra eundem, quia ex quo confeſſus eſt crimen ſuum, eſt infamis infamia facti, ideo non eſt teſtis omni exceptione maior.

Reus quinque modis conuincitur.

¶ Reus autem probatur talis, ſeu conuincitur (vt ad præſens ſpectat) quinq; modis, ſed antequam de ipſis ſigillatim loquamur, præſuppono vnum: videlicet ꝙ forum, neu

trige-

tri generis,ſignificat territorium cuiuſcunq; iudicis,infra quod, poteſt in facinoroſos animaduertere. Foru quid ſit.

℄ *Probatio igitur eſt conuictio rei dubiæ faciens fidem, & vt prædixi, fit quinq; modis, videlicet, Per facti euidentiam. Per famam. Per præſumptionem. Per iuramentum. Et per teſtimonium.* Probatio quid

℄ *Quo ad primum, dico, quòd eſt euidens ſiue notorium iuris, & facti. Iuris eſt illud factum, vt dicit decretalis, de quo quis canonicè eſt condemnatus. Notorium verò facti, eſt duplex, ſcilicet, aut facti præſumpti, aut manifeſti: Præſumpti, vt paternitas & filiatio, ſicut dicit lex, quia ſemper mater certa eſt, pater verò eſt, quem nuptiæ demonſtrant. Notoriũ verò facti manifeſti, eſt, de quo fama publica ſuũ præſtat adminiculum, & ipſa rei euidentia proteſtatur, nec poteſt aliqua tergiuerſatione celari.* Notorium dicitur dupliciter.

℄ *Quocunq; iſtorum modorum crimen notorium ſit, poteſt iudex ex officio ſuo punire criminoſum, quamuis coram eo non accuſetur: nec teſtibus conuincatur. Quo verò ad probationem per famam, dico ſecundum noſtrum Alex. vbi ſupra, ꝙ probatio per famam, non admittitur ad conuictionem maleficij quæ eſt ad condemnationem: admittitur tamen ad probationem honeſti matrimonij, cum iura facilia ſint ad recipiendum probationem honeſtatis; & difficilia ad recipiendum probationem turpitudinis, vnde ſit reatus condemnandus. Ideo ad conuincenda maleficia non eſt admittenda probatio, per famam ſolum, cum nec faciat de mente Bartholi, indicium, niſi iungatur cum alijs indicijs. Fama tamen cum vno teſte in ciuilibus facit plenam probationem, vt habetur in capitulo veniens, el primo, de teſtibus; ſecus eſt in criminalibus.* Peccatum notorium quomodo ſine accuſatione punitur. Probatio per famam non ſufficit. Fama cum vno teſte in ciuilibus facit probationem.

℄ *Quantum ad probationem per præſumptionem, eſt ſciendum, ꝙ præſumptio eſt conjectura, ſeu argumentum, ad credendum vnum factum per probationem alterius facti, et in iudicio debet admitti, 27. quæſt. 1. Certè ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio, & coniacentium duorum* Præſumptio quid.

duorum oſculatio, turpis & fetida dormitio, dedecus criminis confitentur. Et dicta præſumptio eſt quadruplex, ſcilicet, Temeraria, Violenta, Leuis, & probabilis.

Præſumptio quadruplex.

Temeraria.

¶ *Temeraria eſt, quando apparet coniectura boni, & non mali, & ex tali facto ſurgit ſuſpicio temeraria, & iudicium, quale fuit illud, phariſæi, Luca. 7. qui dicebat intra ſe, hic ſi eſſet Propheta, ſciret utiq;, quæ et qualis eſt mulier, quæ tangit illum, quia peccatrix eſt. Iudicabat enim Chriſtum, non eſſe Prophetam, quia permittebat ſe contingi à muliere.*

Violenta.

¶ *Violenta eſt contraria huic, quando ſcilicet, apparet coniectura mali, & nõ boni, & in quo omnia ſigna ſunt mala: & ex tali præſumptione, ſurgit violenta ſuſpicio, qualis fuit præſumptio in iudicio Salomonis, cũ adiudicauit puerum mulieri, quæ compatiebatur morti eius.*

Leuis.

¶ *Leuis eſt, in qua eſt coniectura parua mali, & magna boni, ex qua conſurgit ſuſpicio leuis, & iudicium leue, quale videtur fuiſſe illud Salomonis. 3. Reg. 2. Cum adiudicauit fratrem ſuum interfici, quia petierat Abiſag Sunamitem. Vnde ſi vir bonæ famæ videatur ſemel loqui cum muliere, in loco ſuſpecto, in talibus dicitur, ꝙ dubia ſunt in meliorem partem interpretanda.*

Probabilis:

¶ *Præſumptio verò probabilis eſt, quando coniectura, in pluribus, & ferè in omnibus ſignis eſt mala, & parua ſunt ſigna bona, de qua Matth. 7. Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, à fructibus eorum, cognoſcetis eos: fructus dicit actus plures, ex quibus ſumitur probabilis malitiæ coniectura, quamuis aliquod ſignum appareat ſimplicitatis.*

¶ *Ex præſumptione ergo temeraria, quæ prouenit ex peruerſitate accuſantis, & ex præſumptione leui, quæ prouenit ex indiſcretione, non eſt argumentum probationis in iudicio; nec debent talia mouere animũ iudicis, De quo Matt. 7. Nolite iudicare.*

¶ *Ex præſumptione verò probabili, non debet induci iudex*

dex ad ferendam ſententiam, ſed ad indicendam purgationem canonicam, vt dicit decretalis, de purgationibus.

¶ Ex præſumptione autem violenta ſumitur argumentum probationis ad ferendam ſententiam, ſicut fecit Salomon, in ſupradicto exemplo, & illa conſurgit ex ſpecie mala, quæ prohibetur prima ad Theſalo. 5. Ab omni ſpecie mali abſtinete.

¶ Probatio per iuramentum, differt à probatione per teſtes: quia ad purgationem innocentiæ, de obiecto crimine, admittitur iuramentum accuſati, vel denũciati, quod non admittitur ad probationem culpæ. Probatio per iuramẽtũ quæ ſit.

¶ Probatio verò per teſtimonium, quod etiam eſt iuramento firmatum, & perſonarum differentium ab actore, requiritur ad conuictionem culpæ: ſicut autem purgationem innocentiæ ſequitur abſolutio accuſati, ita conuictionem culpæ, ſequitur damnatio.

¶ Purgatio igitur canonica, fit per iuramentum, & bonorum teſtimonium, vnde habetur, in capitulo. Quotiens, de purgatione canonica, quòd infamatus, contra quem crimen probari non poteſt, debet ſe purgare iuramento. Tenor purgationis talis eſſe debet. Iurabit prælatus, vel alius purgandus ſuper ſancta Dei Euãgelia, quòd non commiſit obiectum ſibi crimen. Compurgatores iurabunt, ꝙ credunt eum iuraſſe verum. Tales enim, vt habetur in capitulo, teſtibus, de purgatione canonica, iurant tantum de credulitate, quos oportet toleratos eſſe ab eccleſia bonæ famæ, nec de crimine condemnatos, et debent habere notum, eum quem purgant. Purgatio canonica quomodo fiat. Purgationis tenor.

¶ Quo autem ad probationem per teſtes eſt notandum, prout habetur in titulo de Teſtibus, ꝙ idem teſtes ſunt diligenter examinandi. Et debent de ſingulis circunſtantijs prudenter inquiri, videlicet de cauſis, perſonis, loco, tempore, auditu, viſu, ſcientia, credulitate, & fama, hoc autem fit, vt ſciatur, quanta fides ſit dictis teſtium adhibenda. Tria enim ſunt, quæ ponũtur derogare fidei teſtium, ſpecia- Probatio per teſtes quæ ſit. Teſtes quomodo examinandi. Fidei teſtium tria derogant.

liter,ſcilicet,Res,Tempus, Et locus,cum in his diſſentiunt. Res,vt quando vnus de vna re,vel perſona,teſtificatur, & alius de alia. Ex quo enim non conueniunt, nihil probant, 35.q.6.Tempus,vt cum vnus teſtificatur factum in vno tempore, alius in alio,4.q.9.Teſtium voces,tanquam plurium,non admittuntur, quos temporum diuerſitas, ſimul eſſe prohibuit. Locus, vt cum vnus teſtificatur aliquid factum in vno loco,& alius in alio; & hoc modo reprobatum eſt teſtimonium ſenum, Daniel.13.Nec creditur teſti vario,& vacillanti. 2.q.3. Et ratio eſt,quia quilibet eſt teſtis ſingularis, & lex dicit. Deutero.19. Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem,ſi autem teſtis profiteatur,ſe de tẽpore non recordari, nihilominus ei creditur.

Teſti vacillanti nõ creditur.

Teſtes ſingulares qui ſunt.

¶ Teſtes ſingulares dicuntur, quando deponunt ſuper diuerſis factis,ita ꝙ quilibet eſt ſingularis & ſolus de facto ſuo reſpectu obiecti: ſed quando crimen ſuper quo deponũt fuit repreſentatum ſenſibus teſtium eodem tempore, tunc ſunt conteſtes,quia deponunt de eodem facto.

Conteſtes qui ſunt.

¶ Teſtes autem ſingulares nullo modo poſſunt coniungi, vt dicit Angelica, ad faciendum indicium,niſi ſit teſtis omni exceptione maior: & multo minus,ad faciendam plenam probationem,& ratio eſt,quia cum duo teſtes regulariter requirantur ad indicium, tales non ſufficiunt; quia vnumquodq; dictum de per ſe, eſt imperfectum. Ex quibus infert Angelus, ꝙ duæ mulieres dicentes ſe peccaſſe cum aliquo, non poſſunt iungi, ad faciendum indicium perfectum,pro arctando ad veritatem dicendam.maximè cum deponant de delicto perpetrato in ſuo corpore, per Bart.in l.ſi quis in graui.ff.ad ſenatus conſultum.

Teſtes duo ad minus requiruntur ad indicium.

¶ Nec etiam eſt ſtandum pluralitati teſtium,ſed extimationi maiori, & honeſtati:cum non ad multitudinem reſpici oporteat,ſed ad ſinceram teſtiũ fidem. Exodi.23. Non in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ vt à vero declines: nec ſequaris turbam ad faciendum malum. Vnde ſecundum legem, iuniori ſemper ſeniorem,& amplioris honoris

Teſtium pluralitati nõ ſemper ſtandum.

noris inferiori, & mares fœminæ, & ingenuũ liberto præferemus. Si autem omnes teſtes producti ex vtraque parte ſint eiuſdem honeſtatis, honoris, & conditionis, quibus erit credendum? Dico, ꝙ in iudicijs generaliter pro reo eſt ſententiandum, cum in teſtibus æqualitas eſt, ſequendi ſunt teſtes, qui ad humanam declinant ſententiam: & hoc niſi fauorabilior ſit pars actoris, quia videlicet, ſtat pro libertate, pro dote, pro teſtamento, pro pupillo, vel vidua, hæc enim declinant ad humanam ſententiam, vt habetur Eccleſiaſtici 4. Eſto pupillis in iudicando miſericors. Teſtes dum ſunt æquales quid agendũ.

¶ *Si verò quæratur an prælati debeant deferre appellationibus ſubditorum ſuorum. Reſpondet Alexander. 3. in cap. ad noſtram de appellationibus, ꝙ à correctione legitima non appellatur niſi modum excedat, vbi ponitur talis caſus, Abbas ſancti Petri quæſiuit à domino Papa, an deberet deferre appellationibus monachorum ſuorum, à correctione interpoſitis: Reſpondet papa, Quia verò remedium appellationis, non ideo inuentum eſt, vt alicui præſtaret patrocinium in ſua nequitia exiſtendi: Mandamus quatenus, ſiquando quiſpiam ſubditorum tuorum ad remedium appellationis conuolauerit, non ideo minus eum iuxta tenorem mandati, quod in prædicta regula continetur, & inſtitutionem ordinis, corrigas, & caſtiges.* Appellare à correctione quando liceat.

¶ *Appellatio eſt à minori ad maiorem iudicem prouocatio. 2. q. 6. capitulo, omnis oppreſſus.* Appellatio quid.

¶ *Nullus prælatus ordinis teneatur ſeruare proceſſus, ſiue confeſſiones fratrum, vel alia acta iudicialia, vltra ſex menſes poſt capitulum generale, aut prouinciale, ſi ad illud res eſt deducenda: ſed infra dictum tempus, quilibet, qui vult querelas dare, de iniuſtitia ſibi facta, teneatur perſonaliter, vel per litteras, ſignificare ſuo ſuperiori, coram quo querela erat danda: & elapſo illo tempore, imponitur ſilentium perpetuum.* Proceſſus quãdiu, ſeruari debent.

¶ *Teneantur fratres exeuntes per obedientiam in reditu ſuo, ſecretè guardiano, & etiam alteri ſuperiori, in abſentia* Defectus notabiles ſuperioribus ſignificandi.

ſentia guardiani, exceſſus ſociorum notabiles, intimare: & ſi vnus frater, exceſſus alterius, ſciuerit per duas vias, vtpotè, per confeſsionem, et per alium modum, non propter hoc, minus (vt prædicitur) teneatur dicere guardiano, & alteri prælato, ab eo requiſitus per obedientiam: quia hoc nullo modo ſigillo confeſsionis præiudicat; quin potius ſi tacet, inobedientiæ crimen incurrit. Et ſiquis contrarium aſſeruerit, & correctus reuocare noluerit, omni actu legitimo priuetur.

¶ Dogmatizare etiam, q̄ frater, qui fratrē corripit de aliquo exceſſu, ſecundū Euangelij normā in occulto, non tenetur dicere prælato, quamuis ab eo per obediētiā requiſitus; ſimiliter, q̄ quando aliqui ſunt ſocij in crimine, non tenetur alter alterum reuelare ſuperiori, qui poteſt & debet prodeſſe, & animarum præcauere periculis, declaratur eſſe doctrinam peſtiferam, et non ſanam, pro eo, quod cedere poteſt in detrimentum ordinis, & regularis diſciplinæ præiudicium, cum prælati ſcire debeant, ſubditorū exceſſus: non ſolum, vt puniantur, quando confeſsi aut conuicti ſunt, ſed, vt periculum præcauere poſsint: & iccirco, omnes taliter dogmatizantes, & pertinaciter tenentes, non ſolum omni actu legitimo ſint priuati, ſed & carceri mācipandi.

Accuſantem probare oportet.

¶ Nullus frater accuſare audeat aliquem, de crimine, quod ipſe probare per legitimos teſtes non poteſt: qui verò contrarium fecerit talionis pœna, puniatur.

¶ Dicimus autem accuſantem, qui coram prælato ſe obligat per teſtes idoneos ad probandum.

¶ Idem etiam fiat de illo, qui guardiani, aut alterius fratris defectus, per litteras, vel alio modo, ad capitulum mittit: & eadem talionis pœna puniatur, qui alium de delicto, de quo alias fuit ſufficienter correctus, ſcienter accuſauerit, aut per litteras, capitulo, vt iterum puniatur, ſignificauerit. Si autem in probatione infamiæ, de qua accuſat tunc, deſierit, pro culpa modo legitimè puniatur. Eadem etiam talionis pœna puniatur, qui alium accuſauerit, de illis, quæ

lis, quæ iam in capitulo fuerunt tanquam falſa reprobata: niſi de nouo ad nouam ſe obliget probationem; in quaſi defecerit, pœna, quæ reo deberet imponi, puniatur.

Accuſatis quo modo reuelanda ſunt accuſãtium nomina.

❡ *Diſtrictè per obedientiam inhibemus, ne perſonæ accuſantes, accuſatis, vel alijs, aliquo modo ſcienter reuelentur: quod maximè de nominibus accuſantium inhibemus miniſtro: niſi de crimine accuſati, in ſua excuſatione, petierint à ſuo ſuperiori, ſibi, accuſantis, & teſtium nomina reuelari. Et quicunque contrarium fecerit, reuelando videlicet, vel inquirendo, non poſsit, niſi per miniſtrum prouincialem abſolui; vel per alium, cui ipſe in ſpeciali duxerit committendum.*

❡ *Circa viſitationes, ad capitula ſiue generalia, ſiue prouincialia, tranſmittendas, vel contra prælatos quoſcunque, vel contra ſubditos, ſequens obſeruetur forma, videlicet, ꝙ fiant omninò ſecretè per ſcrutinium cum trium patrum diſquiſitione, vtputa, ꝙ ipſi diſquiſitores audiant fratres deponentes, & ſiquid depoſitum fuerit in infamiam prælati, exigant à deponente probationem: & ſi in probatione defecerit, ſit nulla depoſitio ſua: ſi autem intentum probauerit, probatio huiuſmodi, non publicetur fratribus, ſed clauſa & ſigillata, ad capitulum vel generale vel prouinciale, per cuſtodem, vel diſcretum tranſmittatur, in diffinitorio diſcutienda, ſine dicti prælati præſentia.*

❡ Et vbicunq; ſunt fratres, qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe regulam ſpiritualiter obſeruare, ad ſuos miniſtros debeant & poſsint recurrere. *Declaramus tamen tunc ad prædictos recurrendi, iuſtam eſſe cauſam, cum tali loco eſt annexa proprietas, vel cura animarum, pueros baptizandi, & alia parochialia exercendi; aut quia propter neceſſariorum penuriam, oportet eos in fructuum congregationibus, vel quæſtibus inhoneſtis, contra regulæ puritatem, & vſum ordinis generalem, occupari: aut propter ſocietatem inhoneſtam, vel importabilem fratribus, præſertim rudibus, & infirmis: pro huiuſmodi autẽ*

Cauſa iuſta ad prælatos recurrendi.

cauſis,

cauſis, & ſimilibus, fratres debent, & poſsint ad ſuos miniſtros recurrere: per eoſdem inde piè, & paternaliter amouendi, & in locis deuotis, & ſpiritualibus collocandi.

¶ Nullus tamen frater extra ſuum conuentum, vel prouinciam, pro tali ad ſuperiorem recurſu exeat, ſine guardiani ſui, aut miniſtri prouincialis licentia reſpectiuè: & quando à guardiano vel à diſcretis iudicantibus cauſam legitimam ad prælatum recurrendi, fuerit licentia munitus, in præfata licentia, ſeu litteris, quas ad ſuperiorẽ mittunt, exprimant præfatam cauſam.

Sequitur modus, quem generales, cõmiſſarij, miniſtri & viſitatores, in ſuis viſitationibus ſeruare debent.

Viſitationis forma.

¶ Primò, nullo modo ſe intromittant de omnino occultis, ſed tantum de his, quæ denunciata ſunt ab homine, vel de quibus eſt fama, & clamoroſa inſinuatio. Secundò, viſitabunt & inquirent de paupertate, an ſcilicet fratres teneãt aliqua contra voluntatem prælatorum, vel ſine ſcitu ipſorum. Si tenent res precioſas de argento, vel de auro. Poſtea ſi habent res ſuperfluas, vel curioſas. Deinde ſi tenent pecuniam penes alium, quam procuratorem, vel eius ſubſtitutum, & ſi tantum (vt tenentur) pro imminenti, vel præſenti neceſsitate, & cum licentia prælatorum. Item ſi faciunt congregationes rerum, contra regulæ puritatem. Si quærunt pecunias ſine neceſsitate, & in caſibus non conceſſis, vel modo indebito, vt ſi tenent eam in cippis, arculis, vel alio loco, ex quo pro arbitratu ſuo poſſunt illas extrahere. Si ſint appropriatores locorum. Si equitant in caſu non permiſſo, & cum burſarijs. Si deferunt calciamenta ſine neceſsitate, & licentia. Si deferunt pannos & habitus curioſos, diuerſos in pretio à communitate. Si promouentur indigni. Si in electionibus fiunt ſubornationes. Si ſint partialitates in prouincia, & qui ſint illorum cauſa, aut nutriunt eas. Si charitas, & ab infirmarijs, & guardianis fit infirmis & hoſpitibus. Si ſeruatur à quibuſcunq; communitas. Et ſi offendiculum aliquis ſe præſtat ſecularibus. Si

quis

quis etiam deliquerit verbo, vel facto, in voto honeſtatis, & ſi habeat aliqua ſuſpecta conſortia.

¶ Viſitentur ſemel ſaltem in quolibet anno cellæ fratrũ, & omnes res, quas habent: & omnia ſuperflua & curioſa ab eis auferantur & iuxta regulam moneant & humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & regulam noſtram. Prælati cellas fratrum ſemel in anno admi-nus viſitent.

De ſuſpectis conſortijs, vitandis offendiculis & ſcandalis cuiuſcunque, de ſequeſtrationibus à ſocijs, collocutionibus cum monialibus, ingreſſibus monaſteriorum earundem, & de modo ſeruando, cum illa, ex officio ingreditur quis, de omnibus ſtatutis ad eas ſpectantibus, & quomodo non poſſunt trahi ad iudicium, & de caſibus in quibus cum recipiunt moniales iucurrunt ſimoniam. Cap. XI.

Capitulum hoc, duo prohibet, videlicet ſuſpecta conſortia, & ingreſſum monaſteriorum monialium. Quo ad primum, notandum, ꝙ, vt inquit ſanctus Bonauentura, ſuſpectum conſortium, eſt non ſolum de mulieribus, ſed de quibuſcumq; perſonis ſuſpectis, vbi locus, tempus, geſtus, aſpectus, & alia notabilia indicia, ſuſpicionem non excludũt, vt ſi locus quæratur, pro mulierum colloquio, ſolitarius, aut obſcurus: & tempus nocturnum, vel alias importunum. Si geſtus ſit diſſolutus, vt potè ex nimia mulieris appropinquitate, vel faciei ad eam fixis oculis conuerſione, manibus iunctis: tale etiam eſt ſuſpectum conſortium. Item ſi ſolitaria ſint, excluſo aliorum auditu, licet non viſu, ex intentione maximè, ſi ſint ſolitariè prorogata ſine pia cauſa, aut cum eadem perſona ſine euidenti ratione frequentata: ſuſpecta ſunt conſortia. Ad ſuſpicionem autem mulierũ, facit ætas, & conditio colloquentis. Illam ſuſpicionem exiſtimo hic prohiberi, quæ fratri excitat enormis tentationis ſtimulum, vel crimini præſtat fomentum, aut quæ apud alios, ſcandalum generare poteſt: & hic etiam exiſtimo omne ſuſpectum prohiberi colloquium, quod ordinatur, ad carnis immunditiã quãcunq;, vel quod põt huius rei ſcandalũ, vel ſuſpicionẽ, probabiliter excitare. Suſpecta conſortia quæ.

¶ Vnde

¶ Vnde ſi in titulo, de cohabitatione clericorum & mulierum, capitulo, Inhibendum: dicitur, ꝙ Sacerdos non poteſt retinere fœminam in domo, etiam matrem, & attinentes, propter periculum peccati: et ſi in capitulo, Si quiſquã, eodem titulo, habetur, ꝙ clericus tertiò monitus, non deſiſtens cum mulieribus confabulari, excommunicetur, non mirum, ſi beatus pater noſter Franciſcus occaſionem remoueat peccatorum, & ſuſpecta prohibeat conſortia, maximè cum beatus dicat Hieronymus, ꝙ in carnis militia, non niſi cum fuga reportetur victoria.

¶ Vnde firmirer omnibus nobis creditis fratribus præcipimus, vt non tantum à malo, Sed (vt ad lucernam beati Pauli legimus) etiam ab omni ſpecie mali caueant, euitentq́; omnia conſortia, familiaritatem, conuerſationem, ſequeſtrationem, colloquia mulierum, virorũ, aut puerorũ, ſuſpecta, etiam ſi ſano animo, candidoq́; ſancta et bona mente fiant: cum aliquando ſathanas in angelum lucis transfigurari contingat. Et ſi aliqui, de huiuſmodi ſuſpectis conſortijs, & colloquijs, notati fuerint, charitatiuè & chriſtianè admoneantur, et corrigantur: ſed ſi admoniti, ſe non correxerint, ſi in officijs ſunt, ab eiſdem abſoluantur, et ſuſpendantur, nec taliter ſuſpenſi, vel abſoluti, reſtituantur, niſi in prouinciali capitulo: ſi uerò in officijs non fuerint, omni actu legitimo priuentur; & cui hac pœna non competit, probationis caputio per bimeſtre puniatur.

¶ Qui ſe à ſocio ſequeſtrare ſolitus fuerit cum mulieribus, de quibus, iudicio prælati ſui, meritò oriri poſſit ſuſpicio, ſi canonicè monitus, & correctus, ſe non emendauerit, tanquam ſuſpectus de mulieribus, omnibus officijs ordinis, aut probationis caputio per trimeſtre ſit priuatus: & ſi iteratò punitus, duobus fide dignis teſtibus, de ſequeſtratione præfata conuincatur, de diſcretorum conſilio, arctetur ad veritatem dicendam. Si verò vnus teſtis fide dignus, de ſequeſtratione præfata apparet contra eum, & alius de lapſu carnis, arctetur grauius in domo diſciplinæ.

In

In confeſſionibus verò per domos ſecularium audiendis, & alijs negotijs expediendis, ſemper teneatur alter alterum intueri: & hoc quanto commodius (iuxta domus diſpoſitionem) fieri poteſt, obſeruetur.

Nullus frater, mulieres intra noſtros conuentus intromittat, niſi fuerint nobiles, & bonæ famæ, quibus ſine ſcãdalo aditus negari non poſſit, & tũc cũ honeſta ſocietate, & diſcretorum conſilio ingrediãtur: qui contrafecerit, pœna vnius publicæ diſciplinæ feriatur. Nullo tamen tempore, in eiſdem pernoctare poſſint, aut coreizare, ſiue prandere, vel cœnare: & guardianus qui id permiſerit, ſuo priuetur officio. Si tamen eſſent adeo illuſtres dominæ, noſtroq́ʒ inſtituto additiſſimæ, ac in tali neceſſitate conſtitutæ, q̃ aliunde honeſtum hoſpitiũ habere non valerent, haberentq; probatiſſimos viros in ſuo comitatu, permittitur in tali caſu, quòd in eiſdem conuentibus noſtris, cum dicto ſuo honeſto ſecularium comitatu, pernoctare, & comedere valeant.

De monialibus.

Ordinamus, vt nullo modo, fratres cum monialibus, aut ſororibus tertij ordinis, in congregatione viuentibus, colloquia habeant: nec ad earum monaſteria accedere poſſint; niſi neceſſitate urgẽte, quam miniſter cum aliquo probo patre debeat iudicare: & tunc, licentia in ſcriptis habita, poterunt eas, duabus ſororibus, aut monialibus præſentibus, & audientibus, alloqui, ita tamen, quòd prius ſe, earum confeſſori ſub vnius diſciplinæ pœna ſe præſentent. Et qui ſine præfata licentia, ad præfata monaſteria monialium, & ſororum acceſſerit, & eas, uel aliquam earum alloqui auſus fuerit, actibus legitimis per annum priuetur: & cui hæc pœna non competit, ad miniſtri ſui arbitrium luat pœnas alias. Et ſi præfata monialium interiora, vel clauſuram ingredi frater aliquis præſumpſerit, cum ſit excommunicatus, pœna carceris, per duos menſes puniatur.

Miniſtri per obedientiã, & ſub pœna priuationis of-

ficij ſui arctabunt, quantum poſſibile erit, acceſſum, ad monaſteria tam monialiũ quàm ſororum tertij ordinis. Vnde ſi, ut habetur de vita & honeſtate clericorũ. c. monaſteria. Monaſteria ſanctimonialiũ frequentantes, ſi clerici ſunt per epiſcopũ arceri debent, & ſi non deſierint, ab officio eccleſiaſtico reddantur immunes; & ſi laici excommunicationi ſubdantur, vnde ibi dicit gloſa: quòd duo requiruntur ad hoc, ut quis impunè frequentare poſſit talia monaſteria, ſcilicet cauſa rationabilis & manifeſta, nec ſufficit prima, ſine ſecunda, Vel occaſio conſanguinitatis, & vltra ſemel non licet, ſed ſtatim malum præſumitur: nec ſufficit bona conſcientia, quo ad deum, ſed neceſſaria eſt bona fama, ne alij ſcandalizentur; & tamen in præfato capitulo punitur tantum ſuſpicio, propter inobedientiam, & non ſacrilegium: quia vbi conſtaret de delicto, clericus in quocunque ordine debet deponi, & detrudi in monaſterium ad agendum perpetuam pœnitentiam: laicus verò ſecundum leges decapitatur, & omnia bona applicantur monaſterio, cui intulit iniuriam.

¶ Multo magis noſtri inſtituti fratres, quibus, non modo ex ſacris canonibus, verũ ex regula interdicitur, & colloquium, & in earum clauſuras ingreſſus, debent cauere, & à dictis extra neceſſitatis cauſam colloquijs, & ab ingreſſu.

¶ Propter quod ſub pœna anathematis & maledictionis æternæ, præcipimus omnibus confeſſoribus dictarũ monialium, & prælatis, quibuſcunque ordinis noſtri: ne citra meram & legitimam neceſſitatem, & non niſi in caſibus à regula, vel ab apoſtolica auctoritate eis conceſſa, præmiſſa dicta monaſteria monialium ſiue noſtri, ſiue alterius ordinis, ingredi audeant: à quibus quando contingit ea, propter officium ſuum, & auctoritatem ſibi datam ingredi, quamcitius poterunt expediantur. Nec confeſſor ingredi poſſit, niſi cum deputato ſibi per capitulum, vel miniſtrum, ſocio. Et miniſter aut particularis commiſſarius, ſeu viſitator,

Confeſſor monialium cum alio quam cũ ſibi deputato ſo

tator, non niſi cum confeſſore, vel alio probatiſſimo, poſſit ingredi patre. Generales verò miniſter, & commiſſarius, quando ingredi opus erit, ducant ſecum, probatiſſimos & honeſtos viros ſeu ſocios, iuxta præſcriptam illis legem. Nec confeſſarius, miniſter, priuatus commiſſarius, & generales, permittent vnquam; quòd ſocij intra clauſuram ab eis ſeparentur, qui expediti, cum omni maturitate, & exemplaritate ab officijs, pro quibus ingrediuntur, quamcitius poterunt, egrediantur.

cio clauſuram non ingrediatur.

¶ *In ſolennitatibus monialium, vel alio quouis tempore, nullo modo fratres comedant apud earum confeſſores; niſi in prandio tantum, vbi conuentus fratrum, vno, aut altero miliario, diſtaret ab ipſo monialium conuentu.*

Fratres apud moniales cibum non capiant.

¶ *Nulla abbatiſſa, aut quæuis alia monialis vel ſoror, cum ſecularibus, vel regularibus perſonis loquatur; niſi duabus alijs ſororibus maturis, & antiquis, præſentibus, & audientibus, ſub vnius diſciplinæ pœna, in communitate facienda pro qualibet vice: cum hoc diametraliter repugnet earum regula & ſtatutis. Id etiam multomagis teneantur facere aliæ priuatæ moniales.*

Monialis niſi adſint auditrices cū vllo loquatur.

¶ *Nullus frater ſiue ſubditus, ſiue guardianus, aliquam ſororem, aut monialem, ordini noſtro non ſubiectam, audiat in confeſſione ſub pœna priuationis uocis actiuæ & paſſiuæ per biennium, aut alia per prælatos inffligenda: ſine ſpeciali miniſtri licentia, quam non concedat, niſi legitima, & neceſſaria ſubſiſtente cauſa.*

¶ *Si aliqua monialis aut ſoror, in articulo mortis conſtituta, alium confeſſorem petierit, eidem concedatur; modo pater ille petitus, aliquando illius confeſſor extiterit: aut probus pater. Et is cum ordinario confeſſore ingrediatur. Excepto verò præfato mortis articulo, omnes proprio ſibi aſſignato confeſſori, confiteri teneantur.*

Monialis in mortis articulo poſita poteſt petere alium confeſſorem.

¶ *Confeſſores monialium in capitulo prouinciali inſtituantur. Nullusq́ ultra biennium, eiuſdem monaſterij valeat inſtitui. Et nullo modo ſe intromittant de monaſte-*

Cōfeſſores vltra biennium non continuentur in officio.

 riorum

riorum regimine, ſed ſuis prælatis & abbatiſſis, liberam curam dimittant.

Confeſſores pernoctent in conuentu fratrum.

¶ Item nullo modo pernoctent præfati confeſſores, ſub pœna priuationis officij ſui, in domo earum monaſterio cõtigua, aut pro confeſſore aſsignata: ſed ad fratrum conuentum debeant omnino reuerti; niſi in nocte, diem ſacratiſſimæ communionis præcedente.

Confeſſores & ſocij ſubijciantur guardiano

¶ Confeſſores omnes tam monialium, quam ſororum, in omnibus & per omnia (demptis ſpectantibus ad ſuum officium) cum ſuis ſocijs ſubijciantur illis guardianis, in quorum conuentibus ſunt, ſicut & cæteri fratres, eorum curæ commiſſi. Et Abbatiſſæ ſiue miniſtræ, teneantur confeſſori ſaltem de indumento prouidere: cum non ſit iuſtum quòd ipſe, & ſocius, ferè per totum annum inſeruiant monaſterio monialium; & guardianus teneatur ambobus de veſtimento prouidere. Confeſſores etiam ipſi non circuibunt per ciuitatem vna cum ſocijs, vel per terras, ſine ſpeciali ſui guardiani licentia.

Moniales prouidebunt de veſtimento confeſſori.

¶ Non recipiantur dominæ ſeculares in monaſteria monialium abſq; ſedis apoſtolicæ mandato: nec pueri, aut puellæ etiam citra infantiæ tempus recipiantur, ſub pœna priuationis officialium locorum per quæ ingredientur.

Confeſſores non ſe intromittant de electionibus.

¶ Confeſſores monialium, non ſe intromittant ſub pœna priuationis officij ſui, ipſo facto incurrenda, de electionibus Abbatiſſarum, uel miniſtrarum, aut aliarum officialium: ſed permittant moniales liberè, & iuxta inſtinctum ſpiritus ſancti, & conſcientiæ propriæ, procedere in ſuis electionibus.

Moniales egreſſæ non leuiter recipiantur.

¶ Moniales, & abbatiſſæ ſeu miniſtræ ſuæ, quæ auctoritate apoſtolica, ſine conſenſu prælatorũ, egreſſæ fuerint per aliquot tempus ſuum monaſterium, non leuiter recipiantur redeuntes: ſed ſi eaſdem recipi contigerit, ſint nihilominus, voce actiua, & paſsiua priuatæ: & vltimum locum teneant, in omnibus monaſterij negotijs, & ſeſsionibus, per biennium. Eadem pœna puniantur, tam moniales, quam

ſorores

ſorores tertij ordinis, vltra pœnam carceris, quæ ab apoſtaſia redeuntes receptæ fuerint.

¶ *Qui conuentus monialium, aut ſororum tertij ordinis adeo perfrictæ frontis erit, ut ſpreta ſuorum prælatorum auctoritate, ruptoq́; obedientiæ vinculo, confugerit ad principes, & conſilium eorum, vel ad dominorum opem implorandam, contra iuriſdictionem ordinis noſtri, is continuò abdicetur ab ipſius ordinis noſtri cura, & tutela: & ab eo auocentur, & amoueantur ij fratres, quicunque & ad gubernandum, & ad miniſtrandum præfecti erant. Idq; per omnia obſeruetur ſub excommunicationis pœna. Quod ſi non vniuerſus conuentus, ſed vna, tale facinus commiſerit, ea ſola velut morbus peſtilens, à ſuo monaſterio expellatur, in aliud noſtræ obedientiæ; cuius utriuſque monaſterij abbatiſſa, ſub eadem excommunicationis pœna teneantur: altera à cuius monaſterio, rea, pernicioſaq́; monialis, aut ſoror amouebitur, ſuppeditare illi impenſas, in victum, atque veſtitum annuum, in omne poſterum vitæ ſuæ tempus: altera verò ad cuius monaſterium transfertur, eam recipere & perpetuò retinere. Quodque ſtatutum ſemper obſeruabitur, quotienſcunque aliqua monialis ſiue ſoror, quauis cauſa, è ſua domo, ad aliam, iuſſu prælatorum erit transferenda. Quiquidem prælati, cauſa correctionis, præſenti decreto, auctoritatem habebunt, moniales, ſiue ſorores inſolentes, aut crimino ſas, ad aliud monaſterium transferre: quodque monaſterium teneatur ſub eiſdem pœnis, vel alijs miniſtro arbitrarijs, illas recipere.*

Pœna monialium medio externo alterantium ordinem.

Moniales inſolentes ad alia monaſteria transferantur.

¶ *Tertiariæ includantur omnino, vbi ſine magna ſecularium offenſione fieri poterit, aſſignatis prius illarum conuentibus qui pauperes ſunt, aliquot quaeſtuarijs (vt vocant) mulieribus: quæ circumeuntes, concluſis mendicent. Repugnantes verò, & capitula diſcretiſſima per patrem Reuerendiſſ. Generalem miniſtrum, illis propoſita, aut proponenda, non acceptantes: à noſtra cura repellantur,*

tanquam

tanquam publicæ honeſtatis inimicæ.

¶ *Pro etiam amouendis nonnullis ſcandalis, quæ in dies occurrunt, eſt notandum, quòd vt habetur, de Iudicijs in ſexto, cap. Mulieres, Mulieres religioſæ etiam volentes, extra monaſterium ſuum ex aliqua cauſa perſonaliter ad iudicium trahi, non poſſunt: & quod contra prædictum fit, eſt irritum. Et ſub iſtis verbis, dicit Bonifacius papa octauus; Cæterum, fœminæ religioſæ præſertim quæ debent ſub clauſura morari, extra ſuum monaſterium vel clauſuram, non vocentur ad iudicium, vel extrahantur, ex quauis cauſa perſonaliter, etiam ſi ad hoc voluntas accederet earundem. Decernimus quoque, ut ipſo iure ſit irritum & inane, ſi quid contra præmiſſa contigerit attentari.*

Pro cognoſcẽda ſimonia à ſororibus in receptione mulierum, quæ in moniales, vel ſorores acceptantur.

Quomodo cõmittatur ſimonia in receptione ſororum.

¶ *Innocentius octauus declarauit, quòd moniales, aut ſorores, quia neſciunt diſcernere inter intentionem primariam, quæ cauſat ſimoniam: & ſecundariam: nunquam incurrunt ſimoniam, niſi in duobus caſibus, ſcilicet, quando paciſcuntur de aliquo dandò, vel ſoluendo pro ingreſſu, & quando recipiunt inhabiles ob ſpem habendi aliquid, quia illa tunc eſt principalis intentio.*

Fratres non ingrediantur monaſteria tertij ordinis.

¶ *Quæ dicta ſunt de ingreſſu monaſteriorum monialium, extendimus etiam ad monaſteria ſororum tertij ordinis in congregatione uiuentium, nec volumus, vt ea fratres ingrediantur, niſi in caſibus illis conceſſis & permiſſis à moderno generali per capitula reſtrictionis eis ab illo data, & ab eis acceptata.*

Quomodo de bono regimine prouidendum eſt terræ ſanctæ, & quòd non niſi probati mittantur, de auctoritate eidem præſidentium. De Reuerendiſſimo protectore, ac eius facultate, & qualiter fratres omnes ſuis reſpectiuè obedire debeant prælatis, ſeruare inuiolabiliter ſtatuta iſta, legereque illa integraliter ſemel in ſingulis duobus menſibus fratribus, ac eiſdem in lingua vernacula declarare, ut nullus uelamen excuſationis habere poſſit. Cap. XII.

DE euntibus inter Saracenos, &c. *Statuimus, quòd ſeruetur regula, & ſemper quantum poſſibile erit, prouideatur, & diſponatur, de bono regimine locorum terræ ſanctæ, tam quo ad commiſſarium, & prælatos, quam quo ad alios fratres: ita quòd ſemper pro gubernatione illorum locorum eligantur de melioribus, & deuotioribus fratribus ordinis: qui vita, moribus, & doctrina probati, lucis exempla præbeant, & ædificationem pariter infidelibus, cum quibus contigerit conuerſari.*

Hieroſolymã quales ſint mittendi.

¶ *Ordinamus, quòd generales miniſter & commiſſarius, nullos fratres mittant, ſiue licentient, ad infidelium partes, aut Hieroſolymam, ſiue de familia, ſiue peregrinationis cauſa, niſi prius habito teſtimonio miniſtri prouinciæ, cuius erunt fratres mittendi. Prouincialis autem miniſter, per obedientiam ſuper hoc requiſitus, teneatur perhibere fidele teſtimonium veritati, an ſcilicet fratres mittendi ſint idonei, vel non: ante verò quam huiuſmodi teſtimonium perhibeat, fratres mittendos; de fide & doctrina, quam ſequuntur, vel hactenus ſecuti ſunt, idem prouincialis miniſter examinet diligenter; & nihilominus fratrum diſcretorum, requirat teſtimonium & conſilium: at illi, fidele dare, per eandem obedientiam teneantur. Ita quòd nullus de aliquo errore, uel mala conuerſatione ſuſpectus, ad partes huiuſmodi deſtinetur. Prouinciales verò miniſtri, nullos ad memoratas partes mittant, ſine conſcientia, & licentia, generalium præfatorum.*

¶ *Guardianus Hieroſolymitanus, vel commiſſarius, aut vicarius de cætero inſtituendus, non poſſit deſtinare fratres ad Italiam: aliaſue partes orbis, Chriſtianis ſubie-*

ctas, neque pro pecunijs mendicandis, neque pro alijs negotijs tractandis; niſi ea lege, vt eoſdem fratres, primùm, ad præſentiam miniſtri, vel commiſſarij generalis deſti net: & ſine eorum permiſſu, & iudicio non exequantur, ſub pœna carceris, quod ille dedit in mandatis.

℄ *Omnes fratres venientes de terra ſancta, qua[...] mum intrauerint propriam prouinciam, infra quin[...] dies barbam faciant ſibi penitus radi, ſub pœna priu[...] nis actuum legitimorum: & cui hæc pœna non comp[...] alia confuſibili per miniſtrum puniatur.*

Guardianus non recedat niſi de nouo electus adueniat.

℄ *Commiſſarius aut guardianus locorũ terræ ſa[...] nullo modo recedat ex commiſsione vel officio ſuo, a[...] quam nouus prælatus aut commiſſarius acceſſerit. Si[...] ter nec frater aliquis, niſi fuerit cuſtos cum ſocio, ad c[...] tulum generale proficiſcens; & tunc dictus nouuus pr[...] tus, auctoritate generalis miniſtri, quam ſibi in his da[...] plenariam, præteritum viſitet, qui vacat ab officio, & [...] teros fratres, quam diligentiſsimè; & viſitationem tota[...] benè ſigillatam, & auctenticam per fideles latores mitt[...] ad generales miniſtrum, aut commiſſarium, ut poſsint [...] delinquentes animaduertere. Et ſi inueniret aliquod ſcandalum in detrimentum ordinis, & notabile damnum illorum locorum, non prætermittat de conſilio aliquorum probatiſsimorum patrum, illius correptionem, condignamque ſatisfactionem, quando citra præiudicium ordinis fieri poterit.*

℄ *Ordinamus etiam, quòd guardianus præfatus, aut commiſſarius, illò pro gubernatione illorum locorum profecturus, ducat totam familiam ſecum, tam in eundo, quã elapſo ſuo triennio, in redeundo, & de communibus eleemoſynis illorum locorum, in itinere, vel nauigatione ſuppe ditet ſingulis neceſſaria, pro victu & nauigio, aut uiatico: & non permittat quoquomodo, quòd fratres ſibi ipſis proui deant, aut eleemoſynas pecuniarias teneant; ſed tantum procurator, aut aliquis fidelis ab eo ſubſtitutus. Si tamen*

con-

contingeret legitima ſubſiſtente cauſa, familiam vel non poſſe accedere cum prælato nouo, aut reuerti: tunc prælati, quibus incumbit, citra ſcandalum cuiuſcunque, prouidebunt præfatis fratribus, aut illò accedentibus, aut reuertentibus, ſine prælato nouo, vel antiquo comitatu, de neceſſarijs.

Protectoris officium.

℄ *Sequitur in regula.* Ad hæc per obedientiam iniungo miniſtris, vt petant à domino papa vnum de ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit gubernator, protector, & corrector iſtius fraternitatis, &c.

℄ *Pro quo aduertendum, quòd officium Reuerendiſſ. domini protectoris ſe extendit, vt habetur, in titulo, Protector, & hoc auctoritate diuerſorum pontificū, & maximè Gregorij vndecimi, ad tres caſus. Primò, ſi ordo totus recederet ab vnitate fidei. Secundò, Si totus recederet ab obedientia eccleſiæ Romanæ. Tertiò, Si totus ab obſeruantia ſuæ regulæ: & hac de cauſa dicitur in hoc capitulo vt ſemper ſubditi, & ſubiecti pedibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide catholica, paupertatem, & humilitatem, & ſanctum euangelium quod domino promiſimus, melius obſeruemus. Et ad hoc propoſitum habetur in memoriali ordinis, ꝙ dominus papa Nicolaus. 3. dixit Fratri Bonegratiæ tunc generali miniſtro, vt cum prouincialibus miniſtris conferret, ſi vellent aliquid eis, ab eo fieri, pro ordinis vtilitate: & ipſe generalis, cum aliquibus patribus, ad domini papæ præſentiam ſe contulit, & propoſuit, ſi placeret ſanctitati ſuæ, daret ſibi protectorem: qui fauorabiliter reſpōdit, ꝙ libentiſſimè faceret, & ſic domino Mattheo nepoti ſuo, ordinis præcipuo dilectori, cui coram eo conſtituto, intendens in ipſum ait. Ad te, ſermo noſter dirigitur, ſi beneficia, quæ tibi proueniunt per nos, recenſere vellemus, inuenirentur magna, & vtilia, ſed in nullo ſic è vicino dedimus tibi arram vitæ æternæ ſicut in iſto, quod tibi modò præſtamus. Damus tibi melius quod habemus. Damus tibi cordis noſtri deſiderium, pupillam oculorum noſtrorum. Tunc tanta eſt*

ta eſt elicita cum his verbis dulcedo amoris de corde Pontificis, tanta ab oculis lachrimarum abundantia profluit: vt quaſi loqui non poſſet. Tandem reaſſumpta voce ait. Non poſſumus in hac materia dilatare, quod natura non patitur: & extenſa manu, proprium anulum porrexit dicens: Committimus tibi ordinem fratrum minorum. Et conuertit ſe ad illa vocabula declaranda, videlicet, vt ſit gubernator & corrector, & dixit, tua gubernatione non indiget ordo, quia tot ſapientibus & prudentibus perſonis abundat, quod ad benè gubernandum ſe ſufficit ſibiipſi. Correctioni quoque non oportet te inſiſtere, quia inter fratres ſunt taliter diſpoſita prælatura, q in hac parte, non videtur eſſe defectus. Habent enim guardianos, qui ſi deficiunt, poſſunt recurrere ad miniſtros, ſupra quos, ſunt generales, & generale capitulum. Ita q non eſt veriſimile apud eos, ea quæ correctione indigerent præteriri. Vnum eſt in quo patrocinio tuo opus habet, ſunt enim imbecilles & pauperes, & multos habent, qui eos indebitè inquietant, quibus per ſe repugnare non poſſunt. Et indigent brachio, & fortitudine protectoris, hoc eſt potiſsimum, in quo, ipſis tua cura debet aſsiſtere.

Obedientia prælatis exibēda.

¶ Verum quia parum eſt legem condere, niſi executioni debita demandetur: volumus ac ſtrictè præcipimus, vniuerſis, & ſingulis fratribus eiuſdem ordinis, vbicunq; fuerint, cuiuſcunq; gradus, ſeu conditionis exiſtant: q in his omnibus ſupradictis, ſuis prælatis teneantur firmiter obedire, ſcilicet generali miniſtro in toto ordine: miniſtris prouincialibus, in ſuis prouincijs: cuſtodibus in ſuis cuſtodijs: guardianis in ſuis guardianatibus: cæteriſq; prælatis in his, & alijs licitis, & honeſtis, quæ non ſunt contra animam ſuam, & regulam noſtram. Et ſiquis (quod abſit) contrafecerit, trina monitione præmiſſa, cum congruis interuallis facta: poſt quam, ſi inobediens, & rebellis extiterit carceri mancipetur.

¶ Ne

¶ *Ne autem labor noſter ſit inanis, & in contemptum veniat ordinis diſciplina; volumus, prædicta ſtatuta, conſtitutiones, & ordinationes, ſeu declarationes, ab omnibus, tam prælatis quam ſubditis, integrè, & inuiolabiliter, obſeruari. Mandantes & ſtrictè præcipientes omnibus prælatis ordinis, quod omnia & ſingula ſupradicta ſeruent, & faciat in ſuis adminiſtrationibus inuiolabiliter obſeruari. Qui ſi in ſupradictis fuerint negligentes, ipſo facto ſuis officijs ſint priuati. Et ne alicui ignorantia ſit occaſio delinquendi, ordinamus, quod quilibet guardianus in ſuo conuentu illa habeat, ſub pœna priuationis ſui officij, & diligenter in loco tuto cuſtodiat, ne furentur, nec extraneis publicentur. Et omnia lingua vulgari exponantur, ſaltem ſemel in ſingulis duobus menſibus, fratribus in communitate: & miniſtri etiam in ſuis viſitationibus, tam paternalibus, quàm iudicialibus, procurabunt, vt ſinguli guardiani in ſupradictis delinquentes, puniantur: & tempore quo viſitabunt, nulla alia habebitur in menſa lectio, quàm ſtatutorum ſupradictorum, quæ etiam vulgariter fratribus miniſtri proponent.*

Statuta inuiolabiliter obſeruanda.

Guardianus quilibet, ſtatuta in ſuo habeat côuentu.

Statuta vulgari lingua exponantur.

FINIS.

FRATER CLAVDIVS MEDVLLA ord. min. de Obſeruantia prouinciæ Mediolani miniſter, & ſeruus, dilectis nobis in Chriſto, patribus, & fratribus, eiuſdem ord. ac prouinciæ profeſſoribus, ſalutem.

ANNO ſuperiori proximo, ſtatuta quædam noſtri ordinis generalia, typis impreſſa, in lucem emitti iuſſimus; eo, quo, & diuino cultui, & veſtræ ſaluti, animo conſultum iri proſpiceremus. Nunc eadem ratione, ac pietatis ſtudio, hæc alia, quæ olim Aquilæ, Valliſoleti, ac nouiſſimè Pariſiis, ſtatuta ſunt, quatenus vobis nota fiant, in lucem emiſſa fieri mandamus. Veſtræ partes erunt, vt omnia ita accuratè ſeruetis, atq; equum eſt, & maiorum noſtrorum obedientia poſtulat, ſalutisq; ueſtræ deſiderium vos impellit. Nos autem, vt nemini veſtrum, horum ignorantiam excuſare liceat, hæc & publicè legi, & integrè, quemadmodum per alias noſtras anno ſuperiori mandauimus, recitari volumus. Valete in domino. Mediolani. die 30. Auguſti. M. D. LXXIX.

TA-

TABVLA CAPITVLI GENERALIS ORD. MIN. S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Anno Domini. M. D. LIX. Aquilæ celebrati.

IN primis, ſexennio Reuerendiſsimi Domini Clementis de Monilia abſoluto, Reuerendiſsimus Pater Frater Franciſcus Zamora, poſtquam Romanæ curiæ, & multarũ prouinciarum cõmiſſariatũ ſplendidè egerat, pro ſuis ſingularibus meritis, admiranda noſtræ religionis fide, incredibiliq́; in rebus agendis dexteritate, omnibus ferè ſuffragijs in Generalem miniſtrum totius ordinis coopta tus eſt.

Commiſſarius verò Generalis Ciſmontanæ familiæ, Reuerendiſsimus P. Frater Angelus de Auerſa, poſtquam Romanæ curiæ Procurator, & totius ordinis Generalis Vicarius, cum maxima omnium ſatisfactione totum ordinem præclariſsimè adminiſtrarat, in Generalem Cõmiſſarium Ciſmontanæ familiæ, omnibus ferè vocalibus electus eſt.

Procurator curiæ Romanæ inſtituitur R. P. F. Emanuel de Beia. Commiſſarius verò eiuſdem curiæ, R. P. F. Antonius de Monilia.

Diffinitores vltramontanæ familiæ.

1 *R. P. F. Antonius de Salonis Miniſter Flandriæ.*
2 *R. P. F. Franciſcus de Corduba miniſter S. Iacobi.*
3 *R. P. F. Antonius Faber, cuſtos prouinciæ S. Ludouici.*
4 *R. P. F. Emanuel de Beia ordinis ſcriba, prouinciæ Algabiorum.*
5 *R. P. F. Adrianus Agutſania, cuſtos Coloniæ.*
6 *R. P. & magiſter F. Iacobus Vgonis doctor Pariſienſis.*

Diffinitores uerò Ciſmontanæ familiæ.

1 *R. P. F. Antonius de Monilia procurator curiæ Romanæ.*
2 *R. P. F. Ioannes Barbarus Miniſt. prouinciæ S. Antonij.*

3 R. P. F. Franciſcus Suſius prouinciæ terræ laboris.
4 R.P.F. Octauianus de Gauardo, Miniſt. prouinc. Brixiæ.
5 R. P. F. Silueſter de Popio Miniſt prouinciæ Florentiæ.
6 R.P.F. Philippus Tionẽſis Miniſt. prouinc. S. Bernardini.
Miniſter Candiæ inſtituitur R. P. F. Nicolaus de Candia.
Guardianus mõtis Sion Vener. P. F. Antonius de Bergomo.

SEQVVNTVR STATVTA AB OMNIBVS Patribus uocalibus approbata.

PRimò omnium, vt omnis ambitionis ſpecies tollatur de medio, ordinat totum capitulum generale, cum Reuerendiſs. Patre Generali Miniſtro, quod tum in generalibus, tum in prouincialibus comitijs, deinceps abſentium vota non ſuppleantur, exceptis Reuerendiſsimis patribus, commiſſario Generali, & Procuratore, & Commiſſario curiæ Romanæ, atq; Guardianis Ieroſolymitano, & Pariſienſi. Qui ſi fuerint præſentes, & vocalis aliquis defuerit, ordine ab antiquis præfixo, ſupplebuntur.

Vota quæ ſuppleri poſſint.

2 Statuitur, ſi Generalem miniſtrum ante ſexennium in altera familia ex qua aſſumptus eſt, mori contigerit, Commiſſarius Generalis ſigillum teneat, qui ſtatim in familiam, ex qua Vicarius generalis aſſumendus eſt, traÿcere, & in loco commodo patres diffinitores, qui pro tempore fuerint conuocare, & ordinẽ de Generali Vicario eiuſdem familiæ ex qua erat Generalis Miniſter accommodare curabit: & Vicarius Generalis ſic electus ſtatutum ſalmanticenſe de Generali ante quadriennium decedente, inuiolabiliter obſeruabit.

Generali mortuo officio ſuo nondum perfuncto quid agendum.

3 Quod prouinciales Miniſtri, ante ſexennÿ abſolutionem, in miniſtros reaſſumi non poſſint.

4 Quod diffinitores capitulorum prouincialium & intermediorum, durante ſui diffinitoratus officio, in guardianos creari non valeant.

Diffinitores actuales Guardiani eſſe non poſſint.

5 Generalis Miniſter, & Cõmiſſarÿ, iuxta ſalmãticenſe ſtatutum,

ſtatutum, non paſsim, ſed grauiſsima neceſsitate coacti, commiſſarios in prouincias mittant: & prouincias omnes, iuxta antiqua ſtatuta, per ſeipſos viſitare, & proprias oues paſcere in quantum potuerint exactiſsimè curent.

6 Declarat totum capitulum generale, quod generalis Miniſter, legitima vrgente neceſsitate: commiſſarios per quos, & per ſeipſum, totum ordinem in ſuo ſexennio, iuxta antiqua, ſtatuta viſitare debeat, mittere poteſt. Nec illos inſtituere eſt contra Regulam, aut eius pontificias declarationes, immo naturali, diuino, atq; humano iuri & noſtro potiſsimum conſentaneum: ſicut & nationalis Generalis miniſter, grauiſsima cogente neceſsitate, de ſummi pont. auctoritate, ſine Regulæ, aut alicuius illius declarationis detrimento, ad regendas nationes mittere poteſt. Et ſi quis contrarium aſſeruerit, ipſo facto excommunicationem incurrat, & omnibus priuetur actibus legitimis.

7 Miniſtri prouinciales, fratres de aliena prouincia, quos ſtudij aut alterius cauſæ gratia, de mandato Reuerendiſsimorum patrum Miniſtri, & Commiſſarij generalium, in propria tenuerint, abſq; Reuerendiſsimorum patrum licentia, in ſuas prouincias ſub officij priuatione remittere, nec ipſi ab illis recedere præſumant, quod ſi aliquod facinus commiſerint, ob quod, in proprijs commodè retineri non poſsint, eos cum litteris ſuis, ad patres Reuerendiſsimos Generales remittere poterunt.

Studentes in aliena prouincia notabiliter delinquentes ad miniſtrum Commiſſariũue Generales mittantur.

8 Renouatur ſtatutum Generale de non retinendis Apoſtatis: & præcipit totum Generale Capitulum omnibus patribus Miniſtris, et Guardianis, ſub officiorum priuatione, ne deinceps ſine Reuerendiſsimorum Generalium, aut Romanæ curiæ officialium, aut ſuorum miniſtrorum peculiari licentia, fratres alterius familiæ in ſuis locis ultra triduũ, legitimo ceſſante impedimento, retinere non poſsint.

9 Præcipit Reuerendiſsimus pater, cum toto Capitulo Generali, quod ſtatutum Aſiſinum exactiſsimè obſeruetur, & nullus frater in aliena prouincia incorporetur, niſi ſaltem

Incorporari quis non debet niſi per bienniũ in prouincia degerit.

ficij ſui arctabunt, quantum poſſibile erit, acceſſum, ad monaſteria tam monialiũ quàm ſororum tertij ordinis. Vnde ſi, ut habetur de vita & honeſtate clericorũ. c. monaſteria. Monaſteria ſanctimonialiũ frequentantes, ſi clerici ſunt per epiſcopũ arceri debent, & ſi non deſierint, ab officio eccleſiaſtico reddantur immunes; & ſi laici excommunicationi ſubdantur, vnde ibi dicit gloſa: quòd duo requiruntur ad hoc, ut quis impunè frequentare poſſit talia monaſteria, ſcilicet cauſa rationabilis & manifeſta, nec ſufficit prima, ſine ſecunda, Vel occaſio conſanguinitatis, & vltra ſemel non licet, ſed ſtatim malum præſumitur: nec ſufficit bona conſcientia, quo ad deum, ſed neceſſaria eſt bona fama, ne alij ſcandalizentur; & tamen in præfato capitulo punitur tantum ſuſpicio, propter inobedientiam, & non ſacrilegium: quia vbi conſtaret de delicto, clericus in quocunque ordine debet deponi, & detrudi in monaſterium ad agendum perpetuam pœnitentiam: laicus verò ſecundum leges decapitatur, & omnia bona applicantur monaſterio, cui intulit iniuriam.

¶ Multo magis noſtri inſtituti fratres, quibus, non modò ex ſacris canonibus, verũ ex regula interdicitur, & colloquium, & in earum clauſuras ingreſſus, debent cauere, & à dictis extra neceſſitatis cauſam colloquijs, & ab ingreſſu.

¶ Propter quod ſub pœna anathematis & maledictionis æternæ, præcipimus omnibus confeſſoribus dictarũ monialium, & prælatis, quibuſcunque ordinis noſtri: ne citra meram & legitimam neceſſitatem, & non niſi in caſibus à regula, vel ab apoſtolica auctoritate eis conceſſa, præmiſſa dicta monaſteria monialium ſiue noſtri, ſiue alterius ordinis, ingredi audeant: à quibus quando contingit ea, propter officium ſuum, & auctoritatem ſibi datam ingredi, quamcitius poterunt expediantur. Nec confeſſor ingredi poſſit, niſi cum deputato ſibi per capitulum, vel miniſtrum, ſocio. Et miniſter aut particularis commiſſarius, ſeu viſitator,

Confeſſor monialium cum alio quam cũ ſibi deputato ſocio

tator, non niſi cum confeſſore, vel alio probatiſſimo, poſſit gredi patre. Generales verò miniſter, & commiſſarius, quando ingredi opus erit, ducant ſecum, probatiſſimos & honeſtos viros ſeu ſocios, iuxta præſcriptam illis legem. Nec confeſſarius, miniſter, priuatus commiſſarius, & generales, permittent vnquam; quòd ſocij intra clauſuram ab eis ſeparentur, qui expediti, cum omni maturitate, & exemplaritate ab officijs, pro quibus ingrediuntur, quamcitius poterunt, egrediantur. cio clauſuram non ingrediatur.

¶ *In ſolennitatibus monialium, vel alio quouis tempore, nullo modo fratres comedant apud earum confeſſores; niſi in prandio tantum, vbi conuentus fratrum, vno, aut altero miliario, diſtaret ab ipſo monialium conuentu.* Fratres apud moniales cibum non capiant.

¶ *Nulla abbatiſſa, aut quæuis alia monialis vel ſoror, cum ſecularibus, vel regularibus perſonis loquatur; niſi duabus alijs ſororibus maturis, & antiquis, præſentibus, & audientibus, ſub vnius diſciplinæ pœna, in communitate facienda pro qualibet vice: cum hoc diametraliter repugnet earum regulæ & ſtatutis. Id etiam multomagis teneantur facere aliæ priuatæ moniales.* Monialis niſi adſint auditrices cũ vllo loquatur.

¶ *Nullus frater ſiue ſubditus, ſiue guardianus, aliquam ſororem, aut monialem, ordini noſtro non ſubiectam, audiat in confeſſione ſub pœna priuationis uocis actiuæ & paſſiuæ per biennium, aut alia per prælatos inffligenda: ſine ſpeciali miniſtri licentia, quam non concedat, niſi legitima, & neceſſaria ſubſiſtente cauſa.*

¶ *Si aliqua monialis aut ſoror, in articulo mortis conſtituta, alium confeſſorem petierit, eidem concedatur; modo pater ille petitus, aliquando illius confeſſor extiterit: aut probus pater. Et is cum ordinario confeſſore ingrediatur. Excepto verò præfato mortis articulo, omnes proprio ſibi aſſignato confeſſori, confiteri teneantur.* Monialis in mortis articulo poſita poteſt petere alium confeſſorem.

¶ *Confeſſores monialium in capitulo prouinciali inſtituantur. Nullusq́ ultra biennium, eiuſdem monaſterij valeat inſtitui. Et nullo modo ſe intromittant de monaſte-* Cõfeſſores vltra biennium non continuentur in officio.

 riorum

riorum regimine, ſed ſuis prælatis & abbatiſſis, liberam curam dimittant.

Confeſſores pernoctent in conuentu fratrum.

¶ Item nullo modo pernoctent præfati confeſſores, ſub pœna priuationis officij ſui, in domo earum monaſterio cõtigua, aut pro confeſſore aſsignata: ſed ad fratrum conuentum debeant omnino reuerti; niſi in nocte, diem ſacratiſſimæ communionis præcedente.

Confeſſores & ſocij ſubijciantur guardiano

¶ Confeſſores omnes tam monialium, quam ſororum, in omnibus & per omnia (demptis ſpectantibus ad ſuum officium) cum ſuis ſocijs ſubijciantur illis guardianis, in quorum conuentibus ſunt, ſicut & cæteri fratres; eorum curæ commiſſi. Et Abbatiſſæ ſiue miniſtræ, teneantur confeſſori ſaltem de indumento prouidere: cum non ſit iuſtum quòd ipſe, & ſocius, ferè per totum annum inſeruiant monaſterio monialium; & guardianus teneatur ambobus de veſtimento prouidere. Confeſſores etiam ipſi non circuibunt per ciuitatem vna cum ſocijs, vel per terras, ſine ſpeciali ſui guardiani licentia.

Moniales prouidebunt de veſtimento confeſſori.

¶ Non recipiantur dominæ ſeculares in monaſteria monialium abſq; ſedis apoſtolicæ mandato: nec pueri, aut puellæ etiam citra infantiæ tempus recipiantur, ſub pœna priuationis officialium locorum per quæ ingredientur.

Confeſſores non ſe intromittant de electionibus.

¶ Confeſſores monialium, non ſe intromittant ſub pœna priuationis officij ſui, ipſo facto incurrenda, de electionibus Abbatiſſarum, uel miniſtrarum, aut aliarum officialium: ſed permittant moniales liberè, & iuxta inſtinctum ſpiritus ſancti, & conſcientiæ propriæ, procedere in ſuis electionibus.

Moniales egreſſæ non leuiter recipiantur.

¶ Moniales, & abbatiſſæ ſeu miniſtræ ſuæ, quæ auctoritate apoſtolica, ſine conſenſu prælatorũ, egreſſæ fuerint per aliquot tempus ſuum monaſterium, non leuiter recipiantur redeuntes: ſed ſi eaſdem recipi contigerit; ſint nihilominus, voce actiua, & paſſiua priuatæ: & vltimum locum teneant, in omnibus monaſterij negotijs, & ſeßionibus, per biennium. Eadem pœna puniantur, tam moniales, quam

ſorores

ſorores tertij ordinis, vltra pœnam carceris, quæ ab apoſtaſia redeuntes receptæ fuerint.

℄ Qui conuentus monialium, aut ſororum tertij ordinis adeo perfrictæ frontis erit, ut ſpreta ſuorum prælatorum auctoritate, ruptoq́; obedientiæ vinculo, confugerit ad principes, & conſilium eorum, vel ad dominorum opem implorandam, contra iuriſdictionem ordinis noſtri, is continuò abdicetur ab ipſius ordinis noſtri cura, & tutela: & ab eo auocentur, & amoueantur ij fratres, quicunque & ad gubernandum, & ad miniſtrandum præfecti erant. Idq; per omnia obſeruetur ſub excommunicationis pœna. Quod ſi non vniuerſus conuentus, ſed vna, tale facinus commiſerit, ea ſola velut morbus peſtilens, à ſuo monaſterio expellatur, in aliud noſtræ obedientiæ; cuius utriuſque monaſterij abbatiſſa, ſub eadem excommunicationis pœna teneantur: altera à cuius monaſterio, rea, pernicioſaq́; monialis, aut ſoror amouebitur, ſuppeditare illi impenſas, in victum, atque veſtitum annuum, in omne poſterum vitæ ſuæ tempus: altera verò ad cuius monaſterium transfertur, eam recipere & perpetuò retinere. Quodque ſtatutum ſemper obſeruabitur, quotienſcunque aliqua monialis ſiue ſoror, quauis cauſa, è ſua domo, ad aliam, iuſſu prælatorum erit transferenda. Quiquidem prælati, cauſa correctionis, præſenti decreto, auctoritatem habebunt, moniales, ſiue ſorores inſolentes, aut criminoſas, ad aliud monaſterium transferre: quodque monaſterium teneatur ſub eiſdem pœnis, vel alijs miniſtro arbitrarijs, illas recipere.

Pœna monialium medio externo alterantium ordinem.

Moniales inſolentes ad alia monaſteria transferantur.

℄ Tertiariæ includantur omnino, vbi ſine magna ſecularium offenſione fieri poterit, aſſignatis prius illarum conuentibus qui pauperes ſunt, aliquot quæſtuarijs (vt vocant) mulieribus: quæ circumeuntes, concluſis mendicent. Repugnantes verò, & capitula diſcretiſſima per patrem Reuerendiſſ. Generalem miniſtrum, illis propoſita, aut proponenda, non acceptantes: à noſtra cura repellantur,

tanquam

tanquam publica honeſtatis inimicæ.

¶ *Pro etiam amouendis nonnullis ſcandalis, quæ in dies occurrunt, eſt notandum, quòd vt habetur, de Iudicijs in ſexto, cap. Mulieres, Mulieres religioſa etiam volentes, extra monaſterium ſuum ex aliqua cauſa perſonaliter ad iudicium trahi, non poſſunt: & quod contra prædictum fit, eſt irritum. Et ſub iſtis verbis, dicit Bonifacius papa octauus; Cæterum, fœminæ religioſæ præſertim quæ debent ſub clauſura morari, extra ſuum monaſterium vel clauſuram, non vocentur ad iudicium, vel extrahantur, ex quauis cauſa perſonaliter, etiam ſi ad hoc voluntas accederet earundem: Decernimus quoque, ut ipſo iure ſit irritum & inane, ſi quid contra præmiſſa contigerit attentari.*

Pro cognoſcēda ſimonia à ſororibus in receptione mulierum, quæ in moniales, vel ſorores acceptantur.

Quomodo cōmittatur ſimonia in receptione ſororum.

¶ *Innocentius octauus declarauit, quòd moniales, aut ſorores, quia neſciunt diſcernere inter intentionem primariam, quæ cauſat ſimoniam: & ſecundariam: nunquam incurrunt ſimoniam, niſi in duobus caſibus, ſcilicet, quando paciſcuntur de aliquo dandò, vel ſoluendo pro ingreſſu, & quando recipiunt inhabiles ob ſpem habendi aliquid, quia illa tunc eſt principalis intentio.*

Fratres non ingrediantur monaſteria tertij ordinis.

¶ *Quæ dicta ſunt de ingreſſu monaſteriorum monialium, extendimus etiam ad monaſteria ſororum tertij ordinis in congregatione uiuentium, nec volumus, vt ea fratres ingrediantur, niſi in caſibus illis conceſſis & permiſſis à moderno generali per capitula reſtrictionis eis ab illo data, & ab eis acceptata.*

Quo-

Quomodo de bono regimine prouidendum eſt terræ ſanctæ, & quòd non niſi probati mittantur, de auctoritate eidem præſidentium. De Reuerendiſſimo protectore, ac eius facultate, & qualiter fratres omnes ſuis reſpectiuè obedire debeant prælatis, ſeruare inuiolabiliter ſtatuta iſta, legereque illa integraliter ſemel in ſingulis duobus menſibus fratribus, ac eiſdem in lingua vernacula declarare, ut nullus uelamen excuſationis habere poſſit. Cap. XII.

De euntibus inter Saracenos, &c. *Statuimus, quòd ſeruetur regula, & ſemper quantum poſſibile erit, prouideatur, & diſponatur, de bono regimine locorum terræ ſanctæ, tam quo ad commiſſarium, & prælatos, quam quo ad alios fratres: ita quòd ſemper pro gubernatione illorum locorum eligantur de melioribus, & deuotioribus fratribus ordinis: qui vita, moribus, & doctrina probati, lucis exempla præbeant, & ædificationem pariter infidelibus, cum quibus contigerit conuerſari.* Hieroſolymã quales ſint mittendi.

¶ *Ordinamus, quòd generales miniſter & commiſſarius, nullos fratres mittant, ſiue licentient, ad infidelium partes, aut Hieroſolymam, ſiue de familia, ſiue peregrinationis cauſa, niſi prius habito teſtimonio miniſtri prouinciæ, cuius erunt fratres mittendi. Prouincialis autem miniſter, per obedientiam ſuper hoc requiſitus, teneatur perhibere fidele teſtimonium veritati, an ſcilicet fratres mittendi ſint idonei, vel non: ante verò quam huiuſmodi teſtimonium perhibeat, fratres mittendos; de fide & doctrina, quam ſequuntur, vel hactenus ſecuti ſunt, idem prouincialis miniſter examinet diligenter; & nihilominus fratrum diſcretorum, requirat teſtimonium & conſilium: at illi, fidele dare, per eandem obedientiam teneantur. Ita quòd nullus de aliquo errore, uel mala conuerſatione ſuſpectus, ad partes huiuſmodi deſtinetur. Prouinciales verò miniſtri, nullos ad memoratas partes mittant, ſine conſcientia, & licentia, generalium præfatorum.*

¶ *Guardianus Hieroſolymitanus, vel commiſſarius, aut vicarius de cætero inſtituendus, non poſſit deſtinare fratres ad Italiam: aliaſue partes orbis, Chriſtianis ſubiectas,*

ctas,neque pro pecunijs mendicandis, neque pro alijs negotijs tractandis; niſi ea lege,vt eoſdem fratres, primùm, ad præſentiam miniſtri, vel commiſſarij generalis deſtinet:& ſine eorum permiſſu,& iudicio non exequantur,ſub pœna carceris,quod ille dedit in mandatis.

¶ *Omnes fratres venientes de terra ſancta, quamprimum intrauerint propriam prouinciam, infra quindecim dies barbam faciant ſibi penitus radi,ſub pœna priuationis actuum legitimorum: & cui hæc pœna non competit, alia confuſibili per miniſtrum puniatur.*

Guardianus non recedat niſi de nouo electus adueniat.

¶ *Commiſſarius aut guardianus locorũ terræ ſanctæ, nullo modo recedat ex commiſsione vel officio ſuo, antequam nouus prælatus aut commiſſarius acceſſerit. Similiter nec frater aliquis,niſi fuerit cuſtos cum ſocio, ad capitulum generale proficiſcens; & tunc dictus nouus prælatus,auctoritate generalis miniſtri,quam ſibi in his damus plenariam,præteritum viſitet,qui vacat ab officio, & cæteros fratres,quam diligentiſsimè; & viſitationem totam, benè ſigillatam, & auctenticam per fideles latores mittat ad generales miniſtrum, aut commiſſarium, ut poſsint in delinquentes animaduertere.Et ſi inueniret aliquod ſcandalum in detrimentum ordinis, & notabile damnum illorum locorum,non prætermittat de conſilio aliquorum probatiſsimorum patrum,illius correptionem, condignamque ſatisfactionem,quando citra præiudicium ordinis fieri poterit.*

¶ *Ordinamus etiam; quòd guardianus præfatus, aut commiſſarius, illò pro gubernatione illorum locorum profecturus,ducat totam familiam ſecum; tam in eundo, quã elapſo ſuo triennio,in redeundo, & de communibus eleemoſynis illorum locorum,in itinere, vel nauigatione ſuppeditet ſingulis neceſſaria,pro victu & nauigio,aut uiatico: & non permittat quoquomodo,quòd fratres ſibi ipſis prouideant, aut eleemoſynas pecuniarias teneant; ſed tantum procurator,aut aliquis fidelis ab eo ſubſtitutus. Si tamen*

con-

contingeret legitima ſubſiſtente cauſa, familiam vel non poſſe accedere cum prælato nouo, aut reuerti: tunc prælati, quibus incumbit, citra ſcandalum cuiuſcunque, prouidebunt præfatis fratribus, aut illò accedentibus, aut reuertentibus, ſine prælato nouo, vel antiquo comitatu, de neceſſarijs.

Protectoris officium.

¶ *Sequitur in regula*. Ad hæc per obedientiam iniungo miniſtris, vt petant à domino papa vnum de ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit gubernator, protector, & corrector iſtius fraternitatis, &c.

¶ *Pro quo aduertendum, quòd officium Reuerendiſſ. domini protectoris ſe extendit, vt habetur, in titulo, Protector, & hoc auctoritate diuerſorum pontificũ, & maximè Gregorij vndecimi, ad tres caſus. Primò, ſi ordo totus recederet ab vnitate fidei. Secundò, Si totus recederet ab obedientia eccleſiæ Romanæ. Tertiò, Si totus ab obſeruantia ſuæ regulæ: & hac de cauſa dicitur in hoc capitulo vt ſemper ſubditi, & ſubiecti pedibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide catholica, paupertatem, & humilitatem, & ſanctum euangelium quod domino promiſimus, melius obſeruemus. Et ad hoc propoſitum habetur in memoriali ordinis, ꝙ dominus papa Nicolaus. 3. dixit Fratri Bonegratiæ tunc generali miniſtro, vt cum prouincialibus miniſtris conferret, ſi vellent aliquid eis, ab eo fieri, pro ordinis vtilitate: & ipſe generalis, cum aliquibus patribus, ad domini papæ præſentiam ſe contulit, & propoſuit, ſi placeret ſanctitati ſuæ, daret ſibi protectorem: qui fauorabiliter reſpõdit, ꝙ libentiſſimè faceret, & ſic domino Mattheo nepoti ſuo, ordinis præcipuo dilectori, cui coram eo conſtituto, intendens in ipſum ait. Ad te, ſermo noſter dirigitur, ſi beneficia, quæ tibi proueniunt per nos, recenſere vellemus, inuenirentur magna, & vtilia, ſed in nullo ſic è vicino dedimus tibi arram vitæ æternæ ſicut in iſto, quod tibi modò præſtamus. Damus tibi melius quod habemus. Damus tibi cordis noſtri deſiderium, pupillam oculorum noſtrorum. Tunc tan*

ta eſt elicita cum his verbis dulcedo amoris de corde Ponti ficis, tanta ab oculis lachrimarum abundantia profluit: vt quaſi loqui non poſſet. Tandem reaſſumpta voce ait. Non poſſumus in hac materia dilatare, quod natura non patitur: & extenſa manu, proprium anulum porrexit dicens: Committimus tibi ordinem fratrum minorum. Et conuertit ſe ad illa vocabula declaranda, videlicet, vt ſit gubernator & corrector, & dixit, tua gubernatione non indiget ordo, quia tot ſapientibus & prudentibus perſonis abundat, quod ad benè gubernandum ſe ſufficit ſibiipſi. Correctioni quoque non oportet te inſiſtere, quia inter fratres ſunt taliter diſpoſitæ prælaturæ, ꝙ in hac parte, non videtur eſſe defectus. Habent enim guardianos, qui ſi deficiunt, poſſunt recurrere ad miniſtros, ſupra quos, ſunt generales, & generale capitulum. Ita ꝙ non eſt veriſimile apud eos, ea quæ correctione indigerent præteriri. Vnum eſt in quo patrocinio tuo opus habet, ſunt enim imbecilles & pauperes, & multos habent, qui eos indebitè inquietant, quibus per ſe repugnare non poſſunt. Et indigent brachio, & fortitudine protectoris, hoc eſt potiſſimum, in quo, ipſis tua cura debet aſſiſtere.

Obedientia prælatis exibéda.

¶ *Verum quia parum eſt legem condere, niſi executioni debita demandetur: volumus ac ſtrictè præcipimus, vniuerſis, & ſingulis fratribus eiuſdem ordinis, vbicunq; fuerint, cuiuſcunq; gradus, ſeu conditionis exiſtant: ꝙ in his omnibus ſupradictis, ſuis prælatis teneantur firmiter obedire, ſcilicet generali miniſtro in toto ordine: miniſtris prouincialibus, in ſuis prouincijs: cuſtodibus in ſuis cuſtodijs: guardianis in ſuis guardianatibus: cæteriſq; prælatis in his, & alijs licitis, & honeſtis, quæ non ſunt contra animam ſuam, & regulam noſtram. Et ſiquis (quod abſit) contrafecerit, trina monitione præmiſſa, cum congruis interuallis facta: poſt quam, ſi inobediens, & rebellis extiterit carceri mancipetur.*

¶ *Ne*

¶ Ne autem labor noſter ſit inanis, & in contemptum veniat ordinis diſciplina; volumus, prædicta ſtatuta, conſtitutiones, & ordinationes, ſeu declarationes, ab omnibus, tam prælatis quam ſubditis, integrè, & inuiolabiliter, obſeruari. Mandantes & ſtrictè præcipientes omnibus prælatis ordinis, quod omnia & ſingula ſupradicta ſeruent, & faciat in ſuis adminiſtrationibus inuiolabiliter obſeruari. Qui ſi in ſupradictis fuerint negligentes, ipſo facto ſuis officijs ſint priuati. Et ne alicui ignorantia ſit occaſio delinquendi, ordinamus, quod quilibet guardianus in ſuo conuentu illa habeat, ſub pœna priuationis ſui officij, & diligenter in loco tuto cuſtodiat, ne furentur, nec extrà ſpeis publicentur. Et omnia lingua vulgari exponantur, ſaltem ſemel in ſingulis duobus menſibus, fratribus in communitate: & miniſtri etiam in ſuis viſitationibus, tam paternalibus, quàm iudicialibus, procurabunt, vt ſinguli guardiani in ſupradictis delinquentes, puniantur: & tempore quo viſitabunt, nulla alia habebitur in menſa lectio, quàm ſtatutorum ſupradictorum, quæ etiam vulgariter fratribus miniſtri proponent.

Statuta inuiolabiliter obſeruanda.

Guardianus quilibet, ſtatuta in ſuo habeat cõuentu.

Statuta vulgari lingua exponantur.

FINIS.

FRATER CLAVDIVS MEDVLLA ord. min. de Obſeruantia prouinciæ Mediolani miniſter,& ſeruus,dilectis nobis in Chriſto, patribus, & fratribus, eiuſdem ord. ac prouinciæ profeſſoribus, ſalutem.

ANNO ſuperiori proximo, ſtatuta quædam noſtri ordinis generalia, typis impreſſa, in lucem emitti iuſſimus;eo,quo,& diuino cultui, & veſtræ ſaluti, animo conſultum iri proſpiceremus. Nunc eadem ratione, ac pietatis ſtudio,hæc alia,quæ olim Aquilæ, Valliſoleti, ac nouiſſimè Pariſiis, ſtatuta ſunt, quatenus vobis nota fiant, in lucem emiſſa fieri mandamus. Veſtræ partes erunt,vt omnia ita accuratè ſeruetis, atq; equum eſt, & maiorum noſtrorum obedientia poſtulat, ſalutisq; ueſtræ deſiderium vos impellit. Nos autem,vt nemini veſtrum,horum ignorantiam excuſare liceat, hæc & publicè legi, & integrè, quemadmodum per alias noſtras anno ſuperiori mandauimus, recitari volumus. Valete in domino. Mediolani.die 30. Auguſti. M. D. LXXIX.

CAPITVLI GENERALIS ORD. MIN. S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Anno Domini. M. D. LIX. Aquilæ celebrati.

IN primis, ſexennio Reuerendiſsimi Domini Clementis de Monilia abſoluto, Reuerendiſsimus Pater Frater Franciſcus Zamora, poſtquam Romanæ curiæ, & multarũ prouinciarum cõmiſſariatũ ſplendidè egerat, pro ſuis ſingularibus meritis, admiranda noſtræ religionis fide, incredibiliq; in rebus agendis dexteritate, omnibus ferè ſuffragijs in Generalem miniſtrum totius ordinis coöptatus eſt.

Commiſſarius verò Generalis Ciſmontanæ familiæ, Reuerendiſsimus P. Frater Angelus de Auerſa, poſtquam Romanæ curiæ Procurator, & totius ordinis Generalis Vicarius, cum maxima omnium ſatisfactione totum ordinem præclariſsimè adminiſtrarat, in Generalem Cõmiſſarium Ciſmontanæ familiæ, omnibus ferè vocalibus electus eſt.

Procurator curiæ Romanæ inſtituitur R. P. F. Emanuel de Beia. Commiſſarius verò eiuſdem curiæ, R. P. F. Antonius de Monilia.

Diffinitores vltramontanæ familiæ.

1 *R. P. F. Antonius de Salonis Miniſter Flandriæ.*
2 *R. P. F. Franciſcus de Corduba miniſter S. Iacobi.*
3 *R. P. F. Antonius Faber, cuſtos prouinciæ S. Ludouici.*
4 *R. P. F. Emanuel de Beia ordinis ſcriba, prouinciæ Algabiorum.*
5 *R. P. F. Adrianus Agutſania, cuſtos Coloniæ.*
6 *R. P. & magiſter F. Iacobus Vgonis doctor Pariſienſis.*

Diffinitores uerò Ciſmontanæ familiæ.

1 *R. P. F. Antonius de Monilia procurator curiæ Romanæ.*
2 *R. P. F. Ioannes Barbarus Miniſt. prouinciæ S. Antonij.*

3 *R. P. F. Franciſcus Suſius prouinciæ terræ laboris.*
4 *R.P.F. Octauianus de Gauardo, Miniſt. prouinc. Brixiæ.*
5 *R. P. F. Silueſter de Popio Miniſt. prouinciæ Florentiæ.*
6 *R.P.F. Philippus Tionẽſis Miniſt. prouinc. S. Bernardini.*
Miniſter Candiæ instituitur R. P. F. Nicolaus de Candia.
Guardianus mõtis Sion Vener. P. F. Antonius de Bergomo.

SEQVVNTVR STATVTA AB OMNIBVS Patribus uocalibus approbata.

PRimò omnium, vt omnis ambitionis ſpecies tollatur de medio, ordinat totum capitulum generale, cum Reuerendiſſ. Patre Generali Miniſtro, quòd tum in generalibus, tum in prouincialibus comitijs, deinceps abſentium vota non ſuppleantur, exceptis Reuerendiſsimis patribus, commiſſario Generali, & Procuratore, & Commiſſario curiæ Romanæ, atq; Guardianis Ieroſolymitano, & Pariſienſi. Qui ſi fuerint præſentes, & vocalis aliquis defuerit, ordine ab antiquis præfixo, ſupplebuntur.

Vota quæ ſuppleri poſſint.

2 Statuitur, ſi Generalem miniſtrum ante ſexennium in altera familia ex qua aſſumptus eſt, mori contigerit, Commiſſarius Generalis ſigillum teneat, qui ſtatim in familiam, ex qua Vicarius generalis aſſumendus eſt, trayçere, & in loco commodo patres diffinitores, qui pro tempore fuerint conuocare, & ordinẽ de Generali Vicario eiuſdem familiæ ex qua erat Generalis Miniſter accommodare curabit: & Vicarius Generalis ſic electus ſtatutum ſalmanticenſe de Generali ante quadriennium decedente, inuiolabiliter obſeruabit.

Generali mortuo officio ſuo nondum perfuncto quid agendum.

3 Quod prouinciales Miniſtri, ante ſexennij abſolutionem, in miniſtros reaſſumi non poſſint.

4 Quod diffinitores capitulorum prouincialium & intermediorum, durante ſui diffinitoratus officio, in guardianos creari non valeant.

Diffinitores actuales Guardiani eſſe non poſſint.

5 Generalis Miniſter, & Cõmiſſarij, iuxta ſalmãticenſe ſtatutum,

ſtatutum, non paſsim, ſed grauiſsima neceſsitate coacti, commiſſarios in prouincias mittant: & prouincias omnes, iuxta antiqua ſtatuta, per ſeipſos viſitare, & proprias oues paſcere in quantum potuerint exactiſsimè curent.

6 Declarat totum capitulum generale, quod generalis Miniſter, legitima vrgente neceſsitate: commiſſarios per quos, & per ſeipſum, totum ordinem in ſuo ſexennio, iuxta antiqua, ſtatuta viſitare debeat, mittere poteſt. Nec illos inſtituere eſt contra Regulam, aut eius pontificias declarationes, immo naturali, diuino, atq; humano iuri & noſtro potiſsimum conſentaneum: ſicut & nationalis Generalis miniſter, grauiſsima cogente neceſsitate, de ſummi pont. auctoritate, ſine Regulæ, aut alicuius illius declarationis detrimento, ad regendas nationes mittere poteſt. Et ſi quis contrarium aſſeruerit, ipſo facto excommunicationem incurrat, & omnibus priuetur actibus legitimis.

7 Miniſtri prouinciales, fratres de aliena prouincia, quos ſtudij aut alterius cauſæ gratia, de mandato Reuerendiſsimorum patrum Miniſtri, & Commiſſarij generalium, in propria tenuerint, abſq; Reuerendiſsimorum patrum licentia, in ſuas prouincias ſub officij priuatione remittere, nec ipſi ab illis recedere præſumant, quod ſi aliquod facinus commiſerint, ob quod, in proprijs commodè retineri non poſsint, eos cum litteris ſuis, ad patres Reuerendiſsimos Generales remittere poterunt. Studentes in aliena prouincia notabiliter delinquentes ad miniſtrum Commiſſariũue Generales mittantur.

8 Renouatur ſtatutum Generale de non retinendis Apoſtatis: & præcipit totum Generale Capitulum omnibus patribus Miniſtris, et Guardianis, ſub officiorum priuatione, ne deinceps ſine Reuerendiſsimorum Generalium, aut Romanæ curiæ officialium, aut ſuorum miniſtrorum peculiari licentia, fratres alterius familiæ in ſuis locis ultra triduũ, legitimo ceſſante impedimento, retinere non poſsint.

9 Præcipit Reuerendiſsimus pater, cum toto Capitulo Generali, quod ſtatutum Aſiſinum exactiſsimè obſeruetur, & nullus frater in aliena prouincia incorporetur, niſi ſaltem Incorporari quis non debet niſi per bienniũ in prouincia degerit.

tem per biennium in illa degerit: verum poſtquam fuerint incorporati, ſine Reuerendiſsimorum patrum miniſtri aut Commiſſarij Generalium licentia, ab ea expelli aut recedere minimè poterunt, & ſi aliquid in prouincia commiſerint in eadem iuxta ſtatuta puniantur. Miniſtri verò qui contrarium fecerint, ſuis priuentur officijs.

Apoſtatæ per duplum temporis ſuæ apoſtariæ puniantur.

10 Reuerendiſsimus Pater ordinat cum toto Generali Capitulo, quod apoſtatæ ad ordinem reuertentes, per duplum temporis apoſtaſiæ, hoc eſt, quod ſi per menſem fuerint apoſtatæ, per duos menſes locum vltimum teneant.

Fratres forenſes qualiter recipi debeant.

11 Vt inuiolabiliter ſub officiorũ priuatione obſeruetur antiquum ſtatutum de fratribus forenſibus, ad conuentũ venientibus, videlicet quod recipiantur in conuentibus, & recepti, prælatis tantum, & non Ianitori, aut alij fratri priuato, obedientiales litteras oſtendere cogantur, quod ſi apoſtatæ fuerint combrobati, abſoluãtur in communitate, & poſt triduum in carcerem, in prouincias proprias remittantur.

Pœna recurrentium ad tribunal externũ

12 Ordinat & præcipit Reuerendiſsimus Pater, cum toto Capitulo Generali, quod nullus frater, tum ſubditus, tum prælatus ab ordinis iudicibus, & diſciplina, ad aliquod externũ tribunal deinceps recurrere præſumat. Quod ſi, diui Franciſci mente, declarationibus pontificijs, ſtatutis Generalibus contemptis, aliquis (quod abſit) contrarium fecerit, omnibus actibus legitimis, ipſo facto ſit priuatus. Præcipientes per S. obedientiam & ſub excommunicationis pœna, omnibus nobis ſubditis, ne huiuſmodi ad externa tribunalia recurrentes, ad aliquod officium eligere, aut promouere audeant, declarantes, omnia ſtatuta à generalibus Miniſtris in contrarium facta, confirmata, aut quouis modo, & non à ſede Apoſtolica roborata, eſſe nulla, irrita, & inania.

13 Volentes totius ordinis bono conſulere, ne ignorantes cum maximo ſecularium offendiculo, ad ordinem, prædicationes, confeſsiones audiendas, & officia promoueri contin-

contingat, quod in vnaquaque prouincia, ſaltem, vnum grammaticæ inſtituatur ſtudium, quod de optimo accomodetur lectore, & fratres idonei, qui Grammaticam legere recuſauerint, à ſuis expellantur prouincijs.

14 In ſingulis prouincijs maxima infirmorum habeatur ratio, & ſaltem vnum aut plures habeat conuentus, quibus infirmarios, & aromatarios præficient, officio peritos, & charitate feruidos: qui infirmis omnia neceſſaria præſtent. Et Guardianus, qui illis, iuxta neceſsitatem ſuam, prouidere neglexerit, ab officio deponatur. Guardiani circa infirmorum neceſſitaté negligétes ab officio deponantnr.

15 Nullus ad ſacerdotium deinceps promoueatur, niſi fuerit Grammaticus.

16 Pro ſatisfactione patrum Vltramontanorum, qui pro maiori parte, in barchinonenſia ſtatuta conſenſere, ea obſeruanda, & vehementer rogarunt, decernitur, quod ſtatuta prædicta Barchinonenſia à patribus vltramontanis (vt conſueuerant) obſeruentur, inſimul cum tabula præſentis, & Salmanticenſis capituli.

17 Ordinamus, quod miniſtri prouinciales, intra 4. menſes poſtquam in prouincias ſuas venerint, ad omnia monialium monaſteria accedant, & iuxta monaſteriorum capacitatem, numerum monialium determinatum illis præfigant: vltra quem, nullam deinceps recipere poſsint, & ſi in monaſterijs plures illo numero fuerint, neminem, donec ad taxatum redigantur numerum, recipere valeant; ne ex monialium multitudine, monaſteria debitis, & intolerabilibus oneribus, magis grauari contingat. Miniſtri, in monialiũ monaſterijs numerum iuxta loci capacitaté conſtituant.

PRO CISMONTANIS.

18 Sorores, quæ extra clauſuram cæteris monialibus deſeruiant, ſi incorrigibiles fuerint, Poterit miniſter eas in monaſterium inter moniales cum velo tamen albo, quod portare conſueuerunt, includere: quas abbatiſſa & moniales ſub officiorũ priuatione recipere & retinere cogantur.

PRO VLTRAMONTANIS.

19 Ad euitanda multa diſsidia, quæ in prouincia Arago Prouinciæ Aragoniæ diuiſio.

niæ, ob nationum, & linguarum varietatem frequenter oriuntur, ad inſtantiam catholicæ maieſtatis, & fratrum eiuſdem prouinciæ petitionem, ordinat Pater Reuerendiſs. Generalis, de communi omnium patrum diffinitorū vtriuſque familiæ conſenſu, quod iuxta trium cuſtodiarū numerum, in tres diuidantur, & erigātur prouinciæ, & ſanctæ Crucis Indiarum deleta, & cuſtodia ſancti Ioſeph; & nominis Ieſu, vna fiat prouincia: cuius miniſter, altero triēnio, ab vna tantum cuſtodia, altero verò, ab alia, cum compromiſſo alterius eligatur.

20 Decernimus, de communi patrum conſenſu, quod deinceps duo mittantur in Indias commiſſarij generales, alter in nouam Hiſpaniam, alter verò in Perū, qui totas illas partes ſibi creditas, intra ſexennium per ſe viſitare curabunt.

21 Statuimus quod prouincia Aquitaniæ reformatorum, à pluribus annis iam ad obſeruantiam recepta, gaudeat eodem priuilegio, quò & cæteræ Galliæ, mittendi videlicet, octo ſtudentes ad conuentum Pariſienſem.

22 In conuentu Pariſienſi continuentur duæ lectiones in ſacra ſcriptura, ſicut hucuſq; fuit obſeruatum.

SEQVVNTVR STATVTA QVAE SANctiſſimus D.N. Papa Paulus 4. ſub excommunicationis pœna ab omnibus obſeruanda præcipit.

PRimò quod Miniſtri generales abſoluti ab officio, per ſequens ſexennium, non poſsint in commiſſarios generales eligi.

2 Quod in futurū, Vicarij Generales qui vltra annum, Vicariatus officium exercuerunt, per ſequens triennium in Commiſſarios Generales cooptari non valeant.

3 Quod prouinciales miniſtri, ante ſexennij abſolutionem, in miniſtros reaſſumi non poſsint.

4 Quod

4 Quod diffinitores capitulorum prouincialium & intermediorum durante ſui diffinitoratus officio, in guardianos creari non poſsint.

5 Quod guardiani, elapſo triennio, in eodem loco in officio continuari non valeant.

6 Sanctiſsimus D. N. præcipit ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, quod inuiolabiliter obſeruentur, & ſi contrarium fuerit attentatum, ſit irritum & inane. Et omnibus Fratribus mandat ſub pœna excommunicationis ne illis obediant, & quod ad aliorum electionē reſpectiuè procedant, ſi aliquid in oppoſitum attentatum fuerit.

Numerus fratrum mortuorum.

Mortui ſunt à Capitulo Generali Salmanticenſi 3737. inter quos ſunt 45. qui pro tempore in ſuis prouincijs reſpectiuè fuerunt miniſtri, pro quibus, & omnibus alijs fratribus, & benefactoribus defunctis, à quolibet ſacerdote dicantur tres Miſſæ.

SEQVVNTVR SVFFRAGIA.

Primò pro ſanctiſs. D. N. Papa Pau. 4. qui vltra ampliſsimorum noſtrorum priuilegiorum cōfirmationem, pro ſua ſingulari erga nos deuotione, immortalibus nos proſequitur beneficijs, dicantur à quolibet ſacerdote tres Miſſe, à Laicis. 100. Pater noſter, cum Aue Maria, et à Clericis pſalmi pœnitentiales.

Item pro catholica & Regia Maieſtate Regis Philippi ordinis noſtri amantiſſimi, qui vltra beneficia innumera, quæ nobis quotidie pro ſua ſingulari in nos beneuolentia præſtat: pro noſtri Generalis capituli faciendis expenſis, haud mediocrem dedit eleemoſynam: à quolibet ſacerdote dicantur tres miſſæ.

Item pro Chriſtianiſsimo Rege, qui nos pro ſua admiranda in Religione beneuolentia, inter varias noſtri temporis tempeſtates, nos, quibus poteſt beneficijs, fouere non ceſſat: dicantur à quolibet ſacerdote tres miſſæ.

Item pro Rege Portugaliæ, qui pro ſuo veteri in nos amo-

re, ordinem noſtrum innumerabilibus eleemoſynis, in ſuo potiſsimum Regno, fouet: dicantur Miſſæ etiam à quolibet ſacerdote tres.

Item pro Reuerendiſsimis Cardinalibus, protectore noſtro, Ara cœli, & Domino Paciecho, ac cætero Cardinaliũ Senatu; duæ miſſæ dicantur.

Item pro Illuſtriſsima Domina Duciſſa de mõte Ychiel, ac toto dominio Borbonio, quæ ita incredibili beneuolentia religioni noſtræ afficitur, vt nullos labores pro illa aſſumere, neque expenſas incredibiles facere, vnquam dubitauit: à quolibet ſacerdote dicatur vna miſſa.

Item pro omnibus principibus Chriſtianis, atq; cæteris benefactoribus noſtris; à ſingulis Sacerdotibus, vna miſſa dicatur.

Et vniuerſaliter pro retinenda inter principes chriſtianos pace, ac felici totius eccleſiæ ſtatu, & quiete; miſſæ duæ dicantur.

Concedit Reuerendiſsimus Pater, omnibus Patribus, fratribus, & Monialibus noſtri ordinis, per quindecim dies, ab huius Tabulæ diffinitionis promulgatione; vt poſsint eligere ſibi confeſſores ex noſtro ordine, & ab omnibus caſibus reſeruatis abſolui, quibus ſuam benedictionem conceſsit, & anathematizat, & dat ſuam maledictionem omnibus apoſtatis.

¶ Capitulum generaliſsimum in quo nouus creabitur Generalis miniſter, celebrabitur anno. 1565. in ciuitate Burgenſi.

FINIS.

TABV-

TABVLA CAPITVLI GENERALIS ORD. MIN. S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Anno Domini. M. D. LXV. Valliſoleti celebrati.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

INcipit tabula diffinitionis celeberrimæ congregationis generalis, in Conuentu S. Franciſci Pinciæ. i. Vallis Oleti, in Hiſpanijs, anno Domini. 1565. die nona Iunij, ſub Reuerendiſsimo doctiſs. q́; Patre F. Aloyſio Puteo prouinciæ Bononiæ, totius ordinis mi. reg. obſeruantiæ Generali meritiſs. celebratæ: præſidente in ea Illuſtriſſ. & Reuerendiſs. D. D. Cardinale Cribello, Apoſtolico nuncio: & ad hoc munus obeundum, à Sanctiſs. noſtro Papa Pio IIII. ſpecialiter demandato.

In primis, ſexennio Reuerendiſs. P. F. Franciſci Zamorenſis elapſo, idem Reuerendiſs. doctiſsimusq́; P. F. Aloyſius Puteus, poſteaquam vltramontanorum commiſſariatus, cum maxima omnium illarum partium ſatisfactione officio functus eſt, cunctis ſuffragijs ad ipſum confluentibus, in generalem totius Or. Mi. cooptatus eſt.

Admodum autem R. P. F. Franciſcus Guzmanus prouinciæ S. Michaelis, munere procurationis in Romana curia præclariſsimè confecto; in Generalem commiſſarium ciſmontanæ familiæ ab omnibus ferè eiuſdem familiæ vocalibus eſt electus.

Procurator Ordinis in Romana curia inſtituitur R. P. F. Antonius de Monilia prouinciæ Bononiæ & pater Ordinis.

Commiſſarius verò eiuſdem curiæ R. P. F. Ioannes de Aghilera prouinciæ Carthaginenſis Miniſter.

Diffinitores vtriuſq; familiæ.

Reuerendiſs. P. F. Franciſcus Zamora.

Reuerendiſs. P. F. Andreas Inſulanus.

Reuerendiſſ. P. F. Angelus de Auerſa.

Diffinitores Generales in ciſmontana familia.

R. P. F. Antonius de Monilia procurator ordinis præfatus.
R. P. F. Pacificus de Nurſia cuſtos prouinciæ S. Franciſci.
R. P. F. Aurelius Grianus miniſter prouinciæ Brixiæ.
R. P. F. Bonauentura de Clauaro miniſter prouinciæ Ianuæ.
R. P. F. Ioannes Aduocatus de Nouaria miniſter prouinciæ Mediolani.
R. P. F. Clemens de S. Petro in Galatina miniſter prouinciæ S. Nicolai.

Diffinitores familiæ ultramontanæ.

R. P. F. Henricus Pepinus miniſter Germaniæ inferioris.
R. P. F. Antonius Strolen miniſter prouinciæ Coloniæ.
R. P. F. Gabriel Taparellus miniſter Franciæ Pariſienſis.
R. P. F. Antonius de Tamaio miniſter prouinciæ Conceptionis.
R. P. & magiſter Iulianus Dauid cuſtos prouinciæ Turoniæ.
R. P. F. Ioannes Nauarus miniſter prouinciæ Bethicæ.

Miniſter Candiæ inſtituitur R. P. F. Franciſcus Ottobonus, prouinciæ diui Antonij pater.

Guardianus verò Sanctiſſimi conuentus montis Sion, totiusq́; terræ ſanctæ Commiſſarius inſtituitur R. P. F. Bernardinus Colleſtatenſis, prouinciæ ſancti Franciſci pater.

SEQVVNTVR STATVTA,

Et in primis ea, quæ ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. protectore noſtro, de mente D. noſtri Papæ Pij. IIII. Miſſa fuere ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. Card. Cribellum, nuncium Apoſtolicum, & præſidentem noſtrum; per ipſumq́; palam, & in uniuerſo Capitulo generali noſtro expoſita.

Recipiendus ad noſtrum ordinem qualis eſſe debeat.

PRimò circa recipientes ad ordinem, vt diligenter, & ſollicitè attendant, quòd recipiendi ſint fideles, catholici, de nullo errore ſuſpecti, matrimonio non ligati, corpore ſani, ant-

ni, animo prompti, de legitimo toro nati, debitis expediti, conditione liberi, ætatis ad minus ſexti decimi anni cōpleti, nulla vulgari infamia maculati, competenter litterāti, vel ſaltem ad labores vtiles & honeſtos ſuo inſtituto, apti, aut talis conditionis exiſtentes, ꝙ eorum receptio clero, & populo non modicam afferat ædificationem. Et ſi qui aliter recepti fuerint, non emittant profeſsionem, abſque generalis miniſtri, pro illo tempore exiſtentis, licentia.

Secundò, ꝙ iam receptis, magiſter nouitiorum aſsignetur in religione probatus, maturus, prouidus, & diſcretus: qui eorundem nouitiorum continuam curam gerat, viam Dei ipſos doceat, ſæpe eos curet, ſacratiſsimam Euchariſtiam recipere faciat, ad ſeruandam cordis, & corporis puritatem informet, mores, & obſeruantiam religionis, verbo, & exemplo, ipſis demonſtret. Eiuſmodi autem nouitij ſuæ probationis tempore, ſtudio ſcolaſtico non intendant, ſed diuinum offcium, ac omnia ſuo ſtatui conuenientia ad diſcentes, ſtudio deuotionis, & orationis vigilanter inſiſtant.

Magiſtri nouitiorū officiū.

Nouitij tempore ſuæ probationis ſtudio ſcholaſtico nō intendant.

Tertiò, quum ex regula eorum, fratres ad honeſtos labores, & ordini vtiles excitentur, de quorum numero ſacræ litteræ, & bonarum artium ſtudium, eſſe præcipuè arbitramur; omnes fratres, tam prælatos, quàm ſubditos in Chriſti Ieſu viſceribus hortamur, vt quotquot idoneos ad ſtudia viderint, eiſdem, iuxta eorum capacitatem, omne conſiliū, fauorem, & auxilium in quibuſlibet opportunis, & neceſſarijs impendant: quum ſcientia ſit donum Dei, armatura ad defendendam ſanctam fidem catholicam, corona eiuſdem ordinis, lumen veritatis, & via in tenebris ambulantium populorum.

Idonei ad ſtudia promouantur.

Quartò, præcipitur omnibus, & ſingulis fratribus cuiuſcunq; gradus, & conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ; ne aliquis publicè, vel priuatè audeat dogmatizare, prædicare, defendere, ſeu approbare aliquam doctrinam, conclusionem,

cluſionem, vel ſententiam hæreticam, damnatam, erroneam, temerariam, aut ſuſpectam in fide, vel contra bonos mores, deteſtando fructum pœnitentiæ, & auſteritatis vitæ, exaltando carnalem amorem, ſeu talia dogmatizantibus, vel prædicantibus, vel defendentibus aliquem fauorem impendere; aut cum talibus conuerſari, vel familiaritatem habere, aut libros damnatos, ſiue hæreticos, ſine ſedis apoſtolicæ auctoritate, apud ſe retinere. Et ſi quis contrafecerit, & canonicè monitus, non reſipuerit; ſtatim nouerit ſe incidiſſe in dictam pœnam, ac alias tam à iure communi, quam à ſanctiſsimo Domino noſtro ſtatutas, quin etiam grauiores iuxta menſuram delicti, ad arbitrium prælatorum infligendas.

Confeſſores ſecularium nō ſint minoris quam triginta annorum ætatis.

Quintò, præcipitur ſub pœna priuationis omniũ actuũ legitimorum, eo ipſo incurrenda, generali miniſtro, & dictis prouincialibus miniſtris: vt nullum ſecularium perſonarum inſtituant confeſſarium, niſi annum trigeſimum compleuerit; cum natu minores, vix habeant eam prudentiam, grauitatem, deuotionem, & ſufficientiam; quæ tantum decet officium.

Prælati nullo modo monaſteria monialium accedant niſi à præfecta vocati.

Sextò, ſub pœna priuationis officiorum præcipitur omnibus prælatis tam generalibus, quam prouincialibus; vt nullo modo ad monaſteria monialium, pro alloquendis ipſis monialibus audeant ire: niſi fuerint pro ſpirituali profectu dictorum monaſteriorum accerſiti ab Abbatiſsis, de conſilio diſcretarum eorundem monaſteriorum; & pro exequendis dumtaxat muneribus, per earum regulam, & mandatum apoſtolicum, illis demandatis. Feneſtræ autem per quas colloquendum eſt cum monialibus, omninò ſint ſeptæ, & obſtructæ ferreis, aut æreis laminis; quarum adeo ſint parua, & anguſta foramina, vt tantum vox audiri, nullus verò aſpectus haberi poſſit. Similiter, & ijſdem, & confeſſarijs earum, ſub pœna anathematis, & maledictionis æternæ præcipitur, vt nullo modo, niſi in caſibus à regula, vel apoſtolica auctoritate eis conceſsis, ingrediantur monaſteria di

ria dictarum monialium. Sed ſi contigerit quempiam illorum dicta monaſteria, pro miniſtrandis ſacramentis, vel ex aliqua ſimili cauſa legitima ingredi, nullo modo ingrediatur, niſi cum vno antiquo, & probatiſſimo patre: qui functus ſuo officio, ſtatim egredi ab ipſis monaſterijs teneatur.

Septimò ordinatur, quod dicti generales, & prouinciales miniſtri, nullo modo, ſub pœna priuationis officiorum ſuorum, licentiam tribuant fratribus ſuis, accedendi ad monaſteria monialium, ſiue etiam ſororum tertij ordinis, & eas alloquendi, nec apud confeſſarios ſuos comedendi, aut pernoctandi, niſi tam vrgens eſſet cauſa, quod ſine detrimento earum, non poſſet eis denegari.

Hactenus de conſtitutionibus Papalibus.

Modò ſequuntur ea, quæ à toto generali capitulo approbata fuerunt.

Patres illi, qui fuerunt Vicarij generales per bienniũ, cenſentur patres vtriuſq; familiæ; & habebunt vota in diffinitorijs, eadem ratione illis ſuffragante, qua ſuffragatur miniſtris generalibus ex ſtatuto Salmanticenſi.

Statuta generalia à Iulio tertio fœlicis reordationis approbata, ab vltramontana familia abſolutè recipiuntur. A Ciſmontana verò humiliter, & reuerenter acceptantur: fidentes promiſsioni Illuſtriſs. Cardinalis Cribelli, quod ſua bonitate, & clementia, à ſanctiſs. D. N. præfatam familiam, alia à Barchinonenſibus, ſtatuta, à tempore immemorabili obſeruatis, non habituram, procurabit.

Commiſſarius generalis, tanquam miniſter miniſtrorum prouincialium, & ordinarius ſuæ familiæ, in comitijs generalibus habebit votum actiuum, & paſsiuum. Commiſſarius generalis in comitijs generalibus habet vocem actiuã & paſſiuam.

Liberum erit prouincijs, ſua comitia intermedia, vel cõgregationes celebrare, aut non celebrare, prout expediens videbitur neceſsitati prouinciarum.

Monaſteria prouinciæ in vtroq; ſexu, etiam primæ regulæ S. Claræ; deinceps viſitabuntur tantum per miniſtros

prouinciales: & quæ noluerint miniſtros ſuos in viſitatores recipere, eÿciantur à cura noſtra. Itaq; præſenti ſtatuto caſſantur omnes alÿ viſitatores.

Cuſtos cuſtodum eligatur in principio, vel in fine capituli. Et vnaquæq; familia in hoc ſuum morem ſeruabit.

Guardianus peracto ſuo officio, non relinquat miſſas dicendas; ac ſi reliquerit maiorem numerũ miſſarum quam centum, quarum ſatisfactio non apparuerit relicta in pecunÿs numeratis, pro ſuo ſucceſſore: priuetur perpetuò omnibus actibus legitimis.

Confeſſarÿ monialium cenſentur in ſuis locis prælati reſpectiuè, & nullus illis ſubditus frater, poſsit exire pro re aliqua, à monaſterio, ſine expreſſa ipſius licentia.

Ordinatur, q̃ ex duabus cuſtodÿs, videlicet è cuſtodia Machoacam, & alia, quæ vocatur de Caliſco, vna prouincia fiat, quæ in poſterum vocabitur prouincia, S. Petri, & Pauli.

Similiter prouincia ſancti Ioſeph in noua Hiſpania diuidatur in duas, & altera vocetur de nomine Ieſu.

Diuiſio prouinciarum terræ nouæ.

Prouincia duodecim apoſtolorum de Perù diuiditur in quinq; prouincias, & vnam cuſtodiam, videlicet hoc modo, Cuſtodia noui regni de Granatà eligitur in prouinciã intitulabiturq́; prouincia ſanctæ Fidei, noui regni de Granata. Cuſtodia S Pauli de Chito, eligitur in prouinciã, quæ intitulabitur, prouincia S. Franciſci de Chito in Perù. Cuſtodia ſanctiſſ. Trinitatis de Chile, eligitur in prouinciam & intitulabitur prouincia ſanctiſſ. Trinitatis de Chile. Ciuitas regum, in qua eſt regalis audientia cum toto diſtrictu audientiæ, erit prouincia duodecim apoſtolorum: in qua reſeruatur nomen antiquum, quia eſt mater omnium iſtarum prouinciarum. Ciuitas Argentina, in qua eſt regalis audientia, eligitur in prouinciam cum toto diſtrictu regalis audientiæ, vſq; ad ciuitatem de Arechipa incluſiuè: & intitulabitur prouincia S. Antonÿ Chiarcarum. Regnũ terræ firmæ cum Cartagena, & Tuluth; fit cuſtodia ſubdita

prouin-

prouinciæ duodecim apoſt. Cuſtodia S. Antonij regni Portugaliæ intra montes, cenſeatur inter prouincias noſtræ obedientiæ ſubditas.

Nemo, qui natalium patitur defectus, iuxta ſanctam Tridentinam Synodum, & ſacros canones, ad ordinis dignitates, & officia obeunda, in his, quæ ad reſidentiam, & regimen ſpectant, deinceps admittatur. Dignitate ordinis non potiatur qui defectus natalium patitur.

Quicumq; ſigillum ordinis, & cuiuſuis conuentus adulterauerit, falſauerit, vel aliqua notabili infamia laborauerit ob crimina, de quibus accuſatus, apud prælatum conuictus fuerit: ad ordinis dignitates, & officia; vltra pœnas, quas ob crimina paſſus fuerit, cẽſeatur, & ſit inhabilis. Sigillum adulterans qua pœna plectendus.

Seruetur circa apoſtatarum punitionem, generalis capituli Aquilani ſtatutum. Et qui apoſtaſiæ culpam, intra duos menſes, coram prælato ſuo non agnouerit publicè, voce actiua, & paſſiua ad decennium priuetur: & pro eodem tempore teneat locum inferiorem ad omnes ſacerdotes, ſi fuerit ſacerdos; aut laicos, ſi fuerit laicus; ſi verò fuerit clericus, vltra pœnas dictas, non promoueatur ad ſacros ordines. Apoſtatarum pœnas.

Sacri Concilij Tridentini canones, ad noſtrum ordinem ſpectantes: nedum tranſcribantur in tabula capituli, verùm diſtrictè ſeruari, vt tenemur, præcipiatur.

Quantum ad receptionem nouitiorum, quia non cuiuſuis eſt, euangelicæ perfectionis culmen aſcendere; ordinamus, ne quis temerè, ſed maturo examine, ſicut in regula, & generalibus ſtatutis continetur, ad ordinem admittatur. Quod, vt diligentius fiat, miniſtri prouinciales per ſeipſos primùm recipiendos examinent; deinde Guardiano, & diſcretis loci, vbi recipi debent; iterum examinandos committant. Neq; aliquis ad profeſsionem, niſi per miniſtrum prouincialem ſi commodè haberi poteſt, ſin minus, de eius licentia in ſcriptis recipiatur: aliter facta receptio, vel profeſsio ſit nulla. Recipiendus à quibus examinandus. Profeſſio quãdo non eſt valida.

Quia verò in regula continetur, vt fratres omnes veſti

Veſtimenta ſint vilia & vniformia.

mentis vilibus induantur, ne ab hoc ſalutari præcepto, vel in dextram ſuperſtitioſæ ſingularitatis, vel in ſiniſtram vanæ curioſitatis declinare contingat: ac perinde turbatio aliqua, vel etiam diſſolutio in ordine oriatur: præcipimus, vt fratres omnes taliter induantur exterius: quod vniformitas veſtium, conformitatem indicet animorum: ita tamen, vt, & panni vilitas ſtrictè obſeruetur, & ſaccorum monſtruoſæ repeciationis deformitas caueatur. Et qui in his vicioſi, aut proterui reperti fuerint, per ſuperiores grauiter puniantur.

Paupertas ab omnibus ſeruanda.

Præterea, quia paupertas euangelica huius ſacri ordinis præcipuum eſt inſigne; caueant fratres, & præſertim maiores, quorum exemplo alij ducuntur, vt nemini vſu rerum, victus, & veſtitus, communiſque conſuetudinis, vel in ſe, vel in alijs vllam permittant ſuperfluitatem: ſed paucis, & humilibus omnes vniformiter ſint contenti, ſicut decet ſeruos Dei, & paupertatis ſanctiſsimæ ſectatores.

Cæterum, cappellanias quas vocant perpetuas, per conuentiones præſertim, & inſtrumenta publica, recipi in aliquo conuentu, omnino prohibemus. Et ſi quæ hactenus ſunt receptæ, illas protinus reſignari præcipimus: conuentioneſque, & pacta reſcindi: ſed liceat fratribus, per modũ eleemoſinæ dumtaxat, miſſarum ſubſidia, quæ liberè oblata fuerint, recipere.

Commiſſarij, ſeu viſitatores prouinciarum, iuxta antiqua ordinis ſtatuta, non niſi vrgente aliqua neceſsitate, vel ad poſtulationem alicuius prouinciæ, mittantur: qui ſemper ſint viri prudentes, & ſeniorum iudicio approbati.

Demum, quum fratres, qui ſunt clerici, iuxta præceptũ regulæ, facere debeant diuinum officium ſecundum ordinem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnes nouitates, quæ hactenus abrepſerunt, profligare, & his, quæ poſſent in futurum contingere, obuiare cupientes: ordinamus, & ſtrictè præcipimus: vt vnum in toto ordine calendarium habeatur, ſecundum S. Romanæ eccleſiæ ordinẽ; eo dumtaxat excepto,

quod

quod feſta ſanctorum ordinis noſtri fiant duplicia, & officium proprium beati patris noſtri Franciſci, non omittatur: nec ab huius ſtatuti præſcripto in poſterum vllatenus recedatur.

Præterea, quum noſter ordo fratrum minorum exiſtat, atq; in humilitate præcipua, & charitate fundatus, nouerint fratres omnes, vbiq; terrarum diſperſi, religioſos cuiuſuis religionis, humiliter, & humanè tractare; tum maximè eos, qui de ſocietate fuerint Ieſu, quos diligere, & honorare debent: eoſq; ad actus litterarios, & feſtorum noſtrorum celebrationem, aliosq; publicos actus, ad quos ſolent religioſi conuenire, cum charitate inuitare, & ſuſcipere: neque noſtrorum quiſquam audeat eis, publicè, vel occultè, detrahere.

Quò ad diuinum officium, Prouinciæ Hiſpanorum ſingulis ſabbatis feſtum Conceptionis immaculatæ virginis celebrare teneantur, & fiat officium proprium, incipiendo à primis veſperis; & ſit verſus in vtriuſq; veſperis, In conceptione tua beata virgo immaculata fuiſti.

Feſtum deſponſationis Beatæ Mariæ virginis fit octaua die Martij. Poſthac fiat feſtum Sancti Franciſci de Paula ſecunda Aprilis, & dup. minus. Aequum enim eſt, vt religionum fundatores, æquali honore venerentur. Item feſta conuerſionis ſancti Pauli, S. Ioachim, S. Catherinæ, & S. Mariæ Magd. deinceps ſint maiora duplicia.

¶ *Numerus fratrum defunctorum à Cap. Aquilano vſque modo. 3803.*

CAPITVLVM GENERALISSIMVM futurum aſſignatur in conuentu noſtro Sanctæ Mariæ Angelorum apud Aſſiſium: Anno Domini. 1571.

Sequuntur nomina Patrum, & Fratrum; qui pro tuitione Catholicæ fidei, in partibus Galliarum occiſi ſunt.

Et pri-

Et primò in prouincia Equitaniæ tres fratres ſuſpenſi fuerunt, in conuentu Sancti Macarij: videlicet F. Bernardus de Tuza prædicator. Fr. Bernardus Dalancus prædicator. Fr. Bernardus Geneſis laicus. Horum tandem cadauera in flumen rapidiſſimum Garonæ proiecta fuerunt, & triduò ſemper ad littus reuertentia, hoſtes fidei numen Dei proſpicientes, corpora extrahere, & ſepulturæ dare coacti ſunt.

In Prouincia Franciæ, Fr. Dioniſius de Ponte, Prædicator ferè centum annorum ætatis, ambobus ab hæreticis erutis luminibus, occubuit. Fr. Ludouicus Grip, ſacerdos prouectæ ætatis, demiſſo in os eius tormento bellico, occubuit. Fratri Nicolao Lotharingo, actu prædicāti, ab hæreticis lingua à parte poſteriori extracta eſt. Fr. Petrus Pichet, Fr. Ioannes benedictus, Fr. Petrus de Ghees prædicatores, hi tres inter gladios hæreticorum interempti ſunt.

In Prouincia Turoniæ Pictauienſis, Fr. Franciſcus Drudauia, Guardianus conuentus S. Martini, Fr. Franciſcus Buto laicus, horum conuentus cum ipſis omnino conbuſtus eſt. F. Petrus Odio prædicator, & lector, in conuentu Radulfi, Fr. Iulianus Gubier, prædicator, et confeſſor, in conuentu de Roſis, Fr. Ioannes Giuidri prædicator, & cōfeſſor, Fr. Rodulphus Giamet, prædicator, & confeſſor in conuentu Magdunij, F. Ioannes de Luſia pater antiquus, prædicator in conuentu Fulgerij, occiſi ſunt.

In Prouincia Franciæ Pariſienſis, in conuentu de Pietate, apud Boſcum male herbatum, occiſus eſt Machinis Fr. Nicolaus Irieti prædicator, & confeſſor. In conuentu Viriæ Propedıodum deſtructo, occiſi ſunt Fr. Petrus Goſet prædicator, & confeſſor ferè octogenarius: qui, eo die, quo miſſam celebrauit, captus, & rogatus, Sacramentum negare, & Pontificem ſummum; cum nollet, deductus in arcem ſuperiorem caſtri, cingulo eius ſuſpenſus eſt; quo rupto, ab arce decidit; captus iterum, ac in priori confeſſione perſiſtens: groſſiorem funem coaptantibus hæreticis collo eius; tandem deiectus ab arce, ſuſpenſus occubuit. F. Gulielmus

de

de Monte prædicator,& confeſſor,appenſus arbori, ictibus machinarum fœliciter occubuit. Fr.Ioannes Lumer Diaconus ab hæreticis captus,rogatus miſſam, & pontificem negare,abnuit: à quibus mox abſciſus nares,aures,& maxillas.& tandem è pontis medio,ligatis pedibus,& manibus, in flumen datus præceps,occubuit. Fr.Ioannes Bunij prædicator, & confeſſor in hoc conuentu, & alij patres antiqui apprehenſi, & multis modis affecti, tandem impotentes redditi ſunt. Fr.Ioannes Liot prouectæ ætatis pater ferè octogenarius,brachijs à tergo ligatis,per tres horas ab hæreticis paſſus eſt. Fr.Oliuerius Iuliani in ordine à multo tempore Iubilarius, quum Romanam ſedem,& ſummum pontificem negare nollet, nudus ſuſpenſus eſt. F. Ioannes Bruſo in conuentu Sagienſi ictibus machinarum necatus eſt.Fr. Dominicus Godar prædicator,& confeſſor,ab hæreticis apprehenſus, & in quodam pelago demerſus verberibus, & flagellis ibidem mortuus eſt. In monaſterio Mauritaniæ ſororũ ſanctæ Claræ,machinis necata eſt ſoror Ioanna petit.

In prouincia Turoniæ,in conuentu Barbeſeli,die Veneris ſancti,poſt paſsionis Ieſu Chriſti habitum ſermonem,F.Petrus Choſet, ſtipiti ligatus, ictibus machinarum occubuit. In conuentu Salmutij,F.Gulielmus Continio antiquus prædicator occiſus eſt.

In Prouincia Aequitaniæ reformatorum, occiſi ſunt ab hæreticis quatuordecim fratres, inter quos fuerunt venerabiles patres Guardianus conuentus Vauri,F.Guilermus Regnac, & guardianus ſancti Antonini, Fr. Bernardus Molmerij.

In Prouincia ſancti Bonauenturæ, Fr.Iacobus Gaiet prouectæ,& probatæ ætatis, guardianus conuentus ſancti Bonauenturæ Lugduni, qui poſtquam per trimeſtre in carcere,pane,& aqua ſuſtentatus eſt,fractis brachijs, in flumen de ponte deiectus eſt,eo ꝙ nollet eorum adhærere hæreſi. F. Paulus Vaſellator prædicator,in quem horrendum,& inhumanum nephas exercuerunt hæretici,à ſeculo non auditũ:

nempe

nempe illius teſticulos ſuper pedem crucis, clauis contude runt: deinde manicas tunicæ interioris, puluere ſulfureo impleuerunt, & igni appoſito, brachia combuſſerunt: ille autem interea ſolum nomen Ieſus exclamabat, tandem ex alijs nequam, quidam cæteris humanior, miſertus illius, ac cepta breui machina, quam vocant Piſtole, appoſuit ori di cens: Aperi os, & conſecra hanc ſferulam plumbeam, quæ traiecta per os in cerebrum, quod reliquum erat vitæ abſtu lit. Fr. Vincentius Forti, prædicator, quem caudæ equi indo miti alligatum, per duas leucas traxerunt, punctionibus varijs eum vrgentes, ita vt totus ſuo ſanguine aſpergere tur, deinde facta fouea in ingreſſu cuiuſdam Pagi, viuum in ea ad humeros vſque dimiſerunt, cuius brachia ſuper terram in modum crucis extenſa à ſingulis militibus hære ticis ſferulis ferreis impetebatur: ſicq́; dimiſſus eſt tota no cte: Manè tranſeuntibus hæreticis, & videntibus eum vi uere, ipſiq́; illudentibus, quidam Alabarda vulgò incere brauit eum, alius nequam, ſerra, guttur illius amputauit, & ſic defunctus eſt. Alij infirmis quod ſupererat vitæ, & piaculi purgandi, igni ſuperpoſuerunt. Duobus, aures, la bia, naſum abſciderunt, oculos effoderunt, poſtremò innu meris ictibus, viam eis ad paradiſum fecerunt. Quatuor in vno conuentu variè interemerunt. Multi vehementi magnitudine cruciatuum non multo poſt, obierunt. Soror quædam, cum incidiſſet in hæreticorum manus, & euagi natos gladios, ac machinulas vibratas mortem intentan tes videret, adeo territa fuit, & commota, vt ſanguis ab omni corporis parte meatibus manaret, ita vt in oculis hoſtium exanguis effecta, vitam finiret mortalem.

FINIS.

TABV-

TABVLA CAPITVLI GENERALIS ORD. MIN. S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Anno Domini. M. D. LXXI. Romæ celebrati.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

HAEC eſt Tabula diffinitionis huiuſce celeberrimæ congregationis generalis in hoc conuentu Sanctæ Mariæ de Aracœli, Romæ. Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, die duodecima Iunij, ſub Reuerendiſs. P. F. Chriſtophoro de capite Fontium totius ordinis minorũ generali Miniſtro celebrata: præſidente in ea Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domino D. Cardinale Cribello vice protectore noſtro digniſsimo, & ad hoc munus ob eundum à ſanctiſsimo Domino noſtro Papa Pio Quinto ſpecialiter demandato.

Inprimis ſexennio Reuerendiſs. Patris Fratris Aloyſij Putei abſoluto, Reuerendiſs. Pater Frater Chriſtophorus de capite Fontium, è Prouincia Britanniæ, cuius Miniſter primò effectus fuit, & deinde Cuſtos, ad hoc Capitulum generale venit, omnibus ferè ſuffragijs in generalem Miniſtrũ totius ordinis minorum cooptatus eſt.

Commiſſarius verò generalis Ciſmontanæ familiæ, admodum Reuerendus Pater Frater Bonauentura à Clauaro Prouinciæ Genuæ, poſtquam in ea primò Miniſter, poſtea in Prouincia Tuſciæ fuit.

Procurator ordinis in Romana Curia, inſtituitur Reuerendus Pater Frater Franciſcus de Figueroa Prouinciæ ſancti Michaelis.

Commiſſarius verò eiuſdem curiæ, Reuerendus Pater F. Franciſcus Viſonus Prouinciæ Genuæ, Miniſter primò in prouincia ſua, deinde in prouincia ſancti Antonij.

Diſcreti ordinis.

Pro vltramontana familia Reuerendus Pater F. Garzias de Ribera, Cuſtos Prouinciæ Bethicæ.

Pro familia Ciſmontana Reuerendus Pater Frater Paulus, de terra Noua Miniſter Prouinciæ Calabriæ.

Diffinitores vltramontanæ familiæ.

R. P. F. Michael de Medina, cuſtos Prouinciæ Caſtellæ.

R. P. F. Ioannes Mabille, Miniſter Prouinciæ Franciæ.

R. P. F. Ioannes Vilheſius, Miniſter prouinciæ Coloniæ.

R. P. F. Ioannes Guglielminus, Commiſſarius Prouinciæ Britanniæ.

R. P. F. Garzias de Ribera Prouinciæ Bethicæ Cuſtos.

R. P. F. Iulianus de Quercu prouinciæ Flandriæ miniſter.

Diffinitores Ciſmontanæ familiæ.

R. P. F. Bernardinus de Colleſtate cuſtos Prouinciæ Sancti Franciſci.

R. P. F. Laurentius de Tricaſio, Miniſter Sancti Bernardini.

R. P. F. Seraphinus Monſalbanus, Cuſtos prouinciæ ſancti Antonij.

R. P. F. Berardus Dragoncinus, Cuſtos Tuſciæ.

R. P. F. Cornelius Buſetus, Miniſter prouinciæ Bononiæ.

R. P. F. Baptiſta Corſicus, Cuſtos prouinciæ Corſicæ.

Miniſtri electi in Capitulo Generali.

Miniſter prouinciæ Romanæ, R. P. F. Ludouicus à Petra acuta, prouinciæ Marchiæ.

Miniſter S. Franciſci, R. P. F. Girardus à Sancto Georgio, prouinciæ Marchiæ.

Miniſter Tuſciæ, R. P. F. Ioannes Auogadrus, prouinciæ Mediolani.

Miniſter Bononiæ, R. P. F. Bonauentura Rampinus, prouinciæ Mediolani.

Miniſter Sancti Antonij, R. P. F. Seraphinus pralboinus, prouinciæ Brixiæ.

Miniſter Calabriæ, R. P. F. Angelus à Malta, prouinciæ Siciliæ.

Miniſter Siciliæ, R. P. F. Euſtachius de Molochio, prouinciæ Calabriæ.

Miniſter Sancti Nicolai, R. P. F. Paulus de Mazara, prouinciæ Siciliæ.

Miniſter Sancti Angeli, F. P. F. Aloyſius de Nola, prouinciæ terræ laboris.

Miniſter prouinciæ Corſicæ, R. P. F. Archangelus de Tricarrico, prouinciæ Baſilicatæ.

Miniſter Sardiniæ, R. P. F. Ioſeph de Saponara, prouinciæ Baſilicatæ.

Miniſter Cretenſis, R. P. F. Ioannes Bergomenſis, prouinciæ Sancti Antonij.

Miniſter prouinciæ Sancti Bernardini, R. P. F. Paulus Arrigutius prouinciæ Tuſciæ.

G V A R D I A N I.

Guardianus Hieruſalem confirmatur, videlicet, R. P. F. Ioannes Franciſcus de Arzignano, cum tota familia.

Guardianus Sanctæ Claræ Neapolitanæ, P. F. Petrus de Maſſa prouinciæ Marchiæ.

Sequuntur ſtatuta edita à Capitulo noſtro Generali, & à Sanctiſs. D.N.D. Pio Papa V. approbata.

QVOD fratres officium diuinum celebrent ſecundum Breuiarium nouum. Similiter & adamuſſim ſeruetur Calendarium in nouo Breuiario. Licebit tamen iuxta Rubricam Breuiarij, ſolennia, feſtiuitates, & officia ſanctorum ſanctarumq; ordinis noſtri, prout antiquitus conſueuerant, ſeruato ordine Breuiarij, celebrare. Similiter & Miſſale; reſpectu Miſſarum.

Officium diuinum quomodo perſoluendum.

Officia noſtri Ordinis quali ter conceſſa.

Lectores poſt lectionem ordinariam, declarent aliquot caſus conſcientiæ, vel de ijs lectionem ordinariam habeat; aut tres in hebdomada particulares, pro eorum arbitrio.

Lectio de conſcientiæ caſibus habenda.

Diffinitores ſiue generalis, ſiue prouincialis capituli, nō priuentur officijs ordinis, nam oppoſitum obſeruari vix poteſt ob fratrum penuriam.

Fratres qui abeunt Apoſtatæ, ab vna prouincia, non recipiantur in alia, niſi prius agnito peccato, quod commiſerunt, ne fratres delinquentes impuniti remaneant.

Inſtituantur magiſtri, & directores iuuenum tales, qui eos grammaticam doceant. Et qui non acquieuerint, grauiter puniantur à miniſtro prouinciali in ſua viſitatione, ante cuius aduentum deponantur à Guardiano, & alij inſtituantur.

Lector non dicatur niſi actu aliter legat.

Nulli ſint lectores, vel prædicatores in conuentibus, niſi actu officium lectoris, vel prædicatoris exerceant, prædicando, vel legendo.

Studentes in aliena prouincia non incorporentur niſi de cōſenſu ſuorum prælatorum.

Fratres qui à ſuis prouincijs mittuntur ad alias prouincias gratia litteris incumbendi, nullo modo incorporentur illis prouincijs, ſine conſenſu ſuorum prouincialium. Ita quod talium incorporatio annulletur præſenti ſtatuto. Præcipitur quoque miniſtris ſub quorum obedientia ſtudent, quod completo ſuo ſtudio, eos remittant, cum laudabili obedientia, ſi meruerint.

Magiſtri nouitiorum, quales inſtitui debeāt

Prouideatur de magiſtris nouitiorum in capitulis, qui ſint religioſi, & prudentes viri, reformati in moribus, & qui exactiſsimam curam habeant eorum.

Nullus conuentus accipiatur, abſque licentia Reuerendiſsimi Patris Generalis. Et rogamus Reuerendiſsimum Patrem, vt hanc licentiam non tribuat, niſi maior pars vocalium, ſuper hanc rem, ipſum rogauerint.

Commiſſarius in prouinciam miſſus miniſtro prouinciali ſuam cōmiſſione oſtēdat.

Quando Reuerendiſsimus Pater Generalis miſerit aliquem Commiſſarium, ad aliquam prouinciam, ipſe Commiſſarius, priuſquam aliquid agat, oſtendat ſuam commiſſionem miniſtro prouinciali.

Cōfeſſores ab Epiſcopis examinentur.

Sacerdotes etiam confeſſores poſsint, & debeant examinari ab epiſcopis, de habilitate, & ſcientia.

Quicunq; abſque neceſsitate per medicos, & prælatū,

decreta,

decreta, & examinata, camiſiis & linteaminibus vtuntur: voce actiua, & paſsiua priuentur. Etſi admoniti non ſe correxerint, tribus menſibus carceribus mancipentur. Mandamus autem patribus miniſtris, vt ſuper hac re inuigilent.

Pœna camiſias deferentium.

Quod electiones fiant cum cedulis ſecretis. Moniales autem quæ neſciunt ſcribere dent vota per fabas, tribus aut quatuor aptioribus propoſitis.

Electiones ut ſecretæ ſint cũ ceculis fiant.

Abbatiſſæ ſtatutum ſacri Concilij Tridentini de tribus confeſſoribus extraordinarijs ſuis monialibus exhibendis, exequantur; poſtulentq; eos cum tempus acceſſerit, à miniſtris prouincialibus, illiq; dare teneantur. Nec in hac parte, diſpenſare valeant.

Abbatiſſæ ter in anno confeſſarium extraordinariũ petant.

Quod prouincia lituaniæ vniatur prouinciæ Polloniæ.

Quod nulli prælato, etiam miniſtro generali, relinquatur facultas in iſtis diſpenſandi, ſaltem in foro externo, niſi in aliquibus paucis ſtatutis, & pœnis expreſsis. Idque ſolum ex cauſa cognita & cum conſilio aliquorum patrum prouinciæ, vel conuentus, vbi diſpenſandum eſt. De quibus diſpenſationibus prælati in capitulo generali, & prouinciali, rationem reddant, ſi de his fuerint viſitati, vel requiſiti.

Pro familia Ciſmontana.

Quod in Prouincijs ſtatuatur certus numerus diffinitorum, nempe ſexdecim reſpectu latiarum prouinciarum, ſtrictiarum autem duodecim. Vltra quem numerum, alij non poſsint eligi, ſine licentia Reuerendiſsimorum Patrũ, miniſtri vel commiſſarij generalis, vt in ſtatutis generalibus habetur.

Diffinitores certum numerum non excedant.

Qui quidem diffinitores prouinciales quinimmo etiam & diffinitores generales, nullo prorſus gaudeant priuilegio, aut prærogatiua, quamprimum expletum fuerit tempus officij illorum. Prærogatiuas autem & priuilegia vocamus, videlicet aſciſcendi ſibi poteſtatem ſocios particulares, conuentum exeundi ſine licentia Guardianorum, exce-

Diffinitores ſuo expleto officio nullo gaudeant priuilegio.

Priuilegiorũ, ſeu prærogatiuarum nomine quid cenſendum.

ptionem

ptionem intereſſendi choro, cæteraque id genus omnia, quæ communi omnium vitæ derogant.

Aſſideantque choro, & menſis, ordine uſitato in Religione, plus ſi quidem, minus, iuxta tempus ingreſſus, in Religionem.

Miniſtri cellas reſque fratrum viſitent.

Miniſtri curent omnino, ut in ſuis viſitationibus cellas, reſque fratrum uiſitent ad purum, quemadmodum ab antiquo vſitatum fuit in Religione noſtra.

Diffinitores diſpenſante miniſtro aut commiſſario generalib. in Guardianus eligi poſſunt.

Quod diffinitores eſſe poſsint Guardiani eodem in capitulo, diſpenſante tamen miniſtro, aut commiſſario generalibus, iuxta diplomata ſedis apoſtolicæ.

Quod Prælati cum duobus patribus ex prouincia ſibi aſſumendis, faciant ſuas viſitationes contentioſas, excipiantq; dicta teſtium, & audiant defenſiones reorum præten ſorum ſuper criminibus tantum, propter quæ, punitio publica inferenda eſſet.

De monialibus.

Quod obſeruetur canon concilij circa bona particularium.

Quod cancelli, ſeu crates, laminentur interius, relictis dumtaxat paruis foraminibus.

Quod familiaritates ſuſpectæ, amicitiæ, ſeu deuotiones ſecularium, Clericorum, & Religioſorum, interdicantur ſub pœnis grauiſsimis.

Quod ſeruetur canon concilij, in offerendis monialibus à prælato, confeſſarijs ordinarijs.

Quod præcipiatur confeſſarijs, vt audiant confeſsiones earum, quoties fuerint interpellati, potiſsimum confeſsiones illarum, temporibus in quibus debent, vel ex Regula, vel ex concilio, moniales confiteri. Alioquin conuictus confeſſarius de oppoſito, mox ſit ſuo officio deſtitutus.

Quod moniales conuerſæ eligi non poſsint ad officia alia, præter coquinam, & cætera id genus officia ſeruilia, quæ nullius ſunt dignitatis.

Quod fratres apud monaſterium monialium cibum nō capiant,

capiant, nec cum vlla loquantur, etiam in diebus feſtis, in quibus agitur ſolennitas monaſteriorum monialium.

De Prouincijs Galliarum.

Guardiani continuentur in ſuis officijs & in eodem loco, quo tempore videbuntur vtiles tali officio, & communitatibus; quorum electio fiat ſecundum ſtatuta Barchinonen. vt ipſa prouincia Calliarum conſueuerunt, ſeruata tamen forma præſcripta à concilio Tridentino.

Conceditur ipſis Gallis, viuere, & regi, iuxta ſtatuta Barchinonenſia, prout eis conceſſum eſt, per alia capitula generalia.

Renouatur ſtatutum Valiſoletanum, de monialibus ſanctæ Claræ non viſitandis, niſi per miniſtrum prouincialem, vel virum probum & grauem.

Confirmatur ſtatutum Valiſoletanum, de promouendo aliquos ad lecturam magiſtri ſententiarum, in facultate Pariſienſi; quibus non dentur litteræ obedientiales à Reuerendiſſimo patre, niſi poſtulentur à miniſtris prouincialibus, iuxta placita patrum prouinciæ. Et illis obedientijs non gaudeant, niſi reſponderint in capitulo prouinciali: deferantq́; teſtimonium fidele patrum ſuorum, de doctrina, & ſufficientia ſua: ſine quo teſtimonio, non recipiantur à diſcretorio Pariſienſi.

Si ſententia punitionis à Iudice ordinario lata ſit, aduerſus fratrem delinquentem, quæ non poſsit cito executioni demandari, propter rebellionem fratris delinquentis, aut fauorem ſecularium, ad nullius poſtulationem reuocetur ſententia illa, inconſultis patribus, uiua uoce ſi adſint, vel ſcripto, ſi abſint. Sententia à iudice lata reuocari nõ debet.

Si contingat, quoſpiam ſcribere ad Reuerendiſsimum patrem Generalem, aduerſus prælatum, uel aliquem fratrem; detur locus parti delatæ, ſeipſam defendendi, ſcripto, ſi abſens ſit, uel uerbo, ſi præſens.

Quia miniſtri & cuſtodes, ex regula, & per obedientiam, tenentur accedere ad comitia generalia, quæ in remotis Actibus legitimis priuetur qui portioné

taxatam Miniſtro & cuſtodi ad generalia comitia euntibus dare renuerit.

tis partibus celebrantur, precipitur conuentibus prouinciarum ſuppeditare ſumptus neceſſarios eiſdem, miniſtro, & cuſtodi, ac ſufficientes, idque proportionaliter, vt conuentus qui ampliores habent eleemoſinas, amplius contribuant, ſecundum iudicium patrum prouinciæ. Et qui reſtiterint ex nunc, prout ex tunc, priuentur omnibus actibus legitimis.

Addatur grauior pœna, ea, quæ eſt in ſtatutis aduerſus recurrentes ad ſeculares, & appellantes à ſententia ſuorum ordinariorum.

Ordinat præſens Capitulum generale, iuxta conſenſum Prouinciarum Galliæ, quod Prouincia Aquitaniæ recentior, habeat diſcretum in conuentu Pariſienſi ſicuti cæteræ prouinciæ Galliarum, conformiter ad ſtatutam Pariſien. vt qui tempore ſtudij fuerit in illo conuentu antiquior, modò à prouinciali Capitulo iudicetur habilis, in diſcretum aſſumatur.

Monialis alterius ordinis ab batiſſa in noſtro ordine inſtituta teneatur & habitum gerere & ſecũdum noſtram regulã uiuere.

Si quæpiam monialis, vnius alterius ordinis per ſanctiſſimum Pontificem ad Regis poſtulationem inſtituenda erit abbatiſſa monaſterij alicuius monialium noſtri ordinis, vel iam inſtituta fuerit, teneatur & cogatur, depoſito habitu prioris ordinis, aſſumere habitum monialium, quibus præfecta eſt: & ſecundum earum regulam viuere, & rationem reddere bonorum temporalium, bis, vel ter, in anno ad minus. Secus teneatur miniſter prouincialis quibuſuis medijs, & vijs licitis, procedere ad illius depoſitionem.

Quod adminiſtratio facultatum monaſterij, fiat per duas electas, ſcilicet per ſyndicam, & miniſtram; quæ vt abbatiſſæ, quam ſæpiſsimè reddant rationem adminiſtrationis ſuæ.

Non mittantur paſsim Commiſſarij ordinarij, ad prouincias niſi requirantur ab illis prouincijs, aut maiori parte, & pro negotio arduo, quo peracto, reuertantur, nec præſint capitulis prouincialibus, niſi ſpecialiter requirantur, & contineatur expreſſe in ſuis litteris.

Fratres

Fratres qui derelĩctis ſuis prouincijs, abeunt ad alias prouincias, ſine licentia ſuorum prouincialium, arctentur in punitionem ſuæ apoſtaſiæ: vel cogantur redire ad ſuas prouincias, à quibus ſunt edocti, & enutriti, atq; ad ſtudia litteraria euecti, & qui poſt diſceſſum à ſuis prouincijs, per ſuas litteras ſubornare ſuos fratres vt ſimilia faciant auſi fuerint, ſubijciantur eiſdem pœnis. Apoſtatæ ad ſuas remittantur prouincias

Inhibet ſtrictiſſimè capitulum generale omnibus monialibus noſtro ordini ſubditis, ne augeant ſuam clauſuram, aut aliquam partem terræ addant. Neque nouas & recentes feneſtras, vt & videre ſeculares, & ab eis videri poſſint, effici faciant; vel quouis prætextu, aut velamine neceſsitatis, vel vtilitatis temporalis allegatæ, & allegandæ, idq; ſub pœna depoſitionis.

Licebit miniſtris prouincialibus intermedium capitulum celebrare; aut patres prouinciæ pro negotijs eiuſdem ad certum locum, & certum diem conuocare.

Pro prouincijs Hiſpaniarum.

Conceditur prouinciæ conceptionis, vt in conuentu Tordeſillas, ſancti Antonij de Segouia, & Calabaçanos, Vicarij habeant vocem in Capitulo prouinciali.

Item ſtatuitur, vt biennio poſt prouinciale capitulum fiat à prouincialibus, & diffinitoribus congregatio, quæ gerat vicem prouincialis capituli ad peragenda ea quæ ſolent fieri in capitulis prouincialibus.

Litium agendarum gratia, aut quacunque alia ratione ad principum curias, fratres non mittantur: ſed mittantur negotia ad commiſſarium curiæ.

Tempore quadrageſimæ, non fiat capitulum prouinciale in aliqua prouincia, quia multa ex hoc, inconuenientia oriuntur, & hoc in vtraq; familia. Capitulũ prouinciale non fiat quadrageſimæ tempore.

Fratres prouinciarum recollectarum, curam monialiũ non ſuſcipiant ſed illa ad proximas prouincias pertineant. Fratres recollecti curã monialium non ſuſcipiant.

Reuerendiſsimus pater generalis, aut eius commiſſarius monaſterium aliquod monialium, aut fratrum, aut cuſto- Generalis miniſter locũ ali-

quem ab ordinaria miniſtri viſitatione nõ eximat precibus quorũcunque principũ.

diam aliquam etiam ad preces quorumcunque principũ, ab ordinaria miniſtri prouincialis viſitatione, gubernatione, & regimine non eximant, ſed ſub immediata cura miniſtri prouincialis ſit.

Prouincia quæ non habuerit tres ſaltem domos, ſtudio litterarum occupatas, grammaticæ ſcilicet, logicæ, & theologiæ, careat nomine prouinciæ, fiatque cuſtodia, & applicetur alicui prouinciæ, ex qua poſſit habere prędicatores, confeſſores, & ſacerdotes doctos.

Quicunque equo, aut curru, per publicas vias ciuitatum, aut negotietur, aut deambulet, pœna carceris puniatur ad arbitrium miniſtri prouincialis, quia hoc ſcandaloſum eſt, & ſtatui noſtro, & regulæ contrarium.

Propter multas atque iuſtiſſimas cauſas ſtatuit capitulum generale, ne deinceps confeſſores monialium quos vicarios vocant, in domibus earundem commorentur, niſi in his dumtaxat, de quibus neceſſarium viſum fuerit capitulo prouinciali proximo.

CAPITVLVM GENERALE futurum ſignatur in conuentu noſtro Cęſar Auguſtano, anno Domini 1579.

Mortui ſunt à Capitulo Valiſoleti 3954. fratres: inter quos ſunt plurimi qui pro tuitione, & defenſione fidei, ſeſe morti tradiderunt: quorum nomina, genus, & Martyria diligentius exquirentur, pro temporis opportunitate.

Obijt etiam in itinere Reuerendiſsimus Pater Frater Franciſcus Zamora olim generalis Miniſter.

FINIS.

TABV-

TABVLA
CONGREGATIONIS GENERALIS
ORD. MIN. S. FRANCISCI DE OBSER.

Anno Domini. M. D. LXXV.
Romæ celebratæ.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

HAEC eſt Tabula Diffinitionis huiuſcæ celeberrimæ congregationis generalis intermediæ, in hoc conuẽtu S. Mariæ de Aracœli, Romæ anno Iubilei, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Die 21. Maij, ſub Reuerendiſſ.P.F.Chriſtophoro de Capite fontium totius ordinis minorum generali Miniſtro, celebratæ: præſidente in ea, Illuſtriſſ. & Reuerendiſsimo D.D. Franciſco Cardinali Alciato Viceprotectore digniſsimo,& ad hoc munus obeundum à Sanctiſsimo D.Noſtro Papa Gregorio xiij. ſpecialiter delegato.

Inprimis, quadrienio admodum R. Patris Fratris Bonauenturæ à clauaro abſoluto, admodum R.P.F. Antonius Gineſtretus Marchiæ Cuſtos, in Commiſſarium generalem eſt electus.

Procurator autem ordinis in Curia Romana, R.P.F. Iacobus Velades, Prouinciæ Sancti Euangelij in noua Hiſpania.

Commiſſarius verò eiuſdẽ Curiæ R. P. F. Ludouicus Mirandulanus Prouinciæ Bononiæ, & in Conuentu Annunciatæ Bononiæ olim Lector.

R.P. F. Paulus à Terra Noua, olim diſcretus ordinis, nũc Miniſter prouinciæ Calabriæ, declaratus eſt, ob eximia eius merita, perpetuus Familiæ Ciſmontanæ Diffinitor, ab Illuſtriſsimo & Reuerendiſs. D.D. Franciſco Cardinale Alciato, Viceprotectore noſtro digniſsimo eiuſdem congregationis Præſidente, nemine penitus contradicente.

Diffinitores Generales.

R. P. F. Franciſcus Viſonus, Romanæ Curiæ nuper Commiſſarius.

R. P. F. Andreas d'Arbo, Prouinciæ Dalmatiæ Miniſter.

R. P. F. Vincẽtius de Roma, Prouinciæ Romanæ Miniſter.

R. P. F. Hieronymus de Imola, Prouinciæ Bononiæ Miniſter.

R. P. F. Ioannes Volarus de Neapoli, Prouinciæ Terræ laboris Cuſtos.

R. P. F. Felix de Peruſio, Prouinciæ S. Franciſci Miniſter.

Miniſtri electi in hac congregatione.

Miniſter Candiæ, R. P. F. Bernardinus de Sarno, Pater Prouinciæ principatus.

GVARDIANI.

Guardianus Hieruſalem confirmatur, videlicet, R. P. F. Hieremias Brixienſis, cum tota familia.

Guardianus Sanctæ Claræ ciuitatis Neapolitanæ, R. P. F. Vincentius de Maſſana Cuſtos Prouinciæ Siciliæ.

DE DIVINO OFFICIO VT OMNINO CELEBRETVR SICVT DECET.

Renouatur Statutum Capituli Romani.

PRIMO præcipiendo omnibus Miniſtris, Guardianis, Vicarijs, et alijs Fratribus quibuſcunq;, ac patribus noſtri Ordinis, vt citra vllam dilationẽ celebrent diuinum officium, & Miſſas, ſecundum Ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſeruatis omnibus cærimonijs, & Regulis in Rubricis noui Breuiarij, & Miſſalis, per bonæ memoriæ Pium Quintum Sanctiſsimum Pontificem, Ordinatis, & decretis. Et quicunq; poſt hanc auditam conſtitutionem, non ſeruauerit ad vnguem, omnes prædictas cærimonias, & rubricas, actibus priuetur legitimis.

Officio diuino quocunque

Item nil addatur diuino officio, quod ſecundum Ordinẽ Sanctæ Romanæ eccleſiæ, ex Regula etiam noſtra celebrare

debemus: etiam quocumque quæſito deuotionis colore; quã doquidem obedientia gratior cultus ſit Deo, quam victima propria voluntate ſacrificantium. Quare nec officium de Nomine Ieſu, nec officium ſanctæ Annæ, neque ſancti Gabrielis, neq; aliquod aliud tale, celebrari poterit: quod non ſit in Calendario Eccleſiæ Romanæ; præter feſta Sanctorũ, & ſanctarum, qui fuerunt de noſtro Ordine; & præter officium ſanctiſsimi Sacramenti, quod, ex diſpenſatione Pij V. bonæ memo. celebrari poterit; extra Aduentum et Quadrageſimam, qualibet Feria quinta, quando non occurrit feſtum aliquod. In Miſsis quoq; non addentur, in Himno Gloria in excelſis. verſus ille; Et ſancti Spiritus, vel Spiritus & Almæ Orphanorum, &c. aut particulares de domina noſtra verſus; quandoquidem non ſint in ordinario Eccleſiæ Romanæ. deuotionis colore nil addatur.

Quicunque gladio, fratrem ſuum percuſſerit, vel ſecularem aliquem, carceris vnius anni pœnam luat. Qui vero gladium exemerit vt percutiat; vel minatus fuerit gladio, ſe quempiam percuſſurum: carceris ſex Menſium pœna plectatur, Quod ſi mors ſecuta fuerit; vel atrox mutilatio, omnino ad Triremes condemnetur. Pœna gladio quemquam minantiũ vel percutientium.

Quicunque prælatum gladio percuſſerit, ſiue mors ſecuta fuerit, ſiue non, ad Triremes omnino condemnetur.

Quicunq; rebellauerit Prouinciali ſuo, Guardiano, vel Vicario, & verbis irreuerentibus, et iniurioſis, illum coram fratribus, aut ſecularibus affecerit, actiua ac paſsiua voce priuetur. Pœna ſuo prælato rebellantium.

De Prælatis non legentibus ſtatuta, vel non exequentibus ea, quæ per dicta ſtatuta decreta ſunt; ſtatuitur, vt ſi in hoc notabiliter defecerint, per ſuos miniſtros prouinciales, & commiſſarios prouinciam viſitantes, ſuis priuentur officijs. Prælatus in exequendis ſtatutis negligens repertus, ſuo priuetur officio.

Non differantur punitiones delinquentium, vſq; ad Generalium Miniſtrorũ, aut Commiſſariorum, in prouincias aduentum; ſed ſecundum ſtatuta, teneantur prouinciales Delictũ quod ab ordinario prælato poteſt puniri, vſq; ad ſuperiorũ præ

miniſtri,

latorum aduẽtum non differatur.

miniſtri, cum conſilio diffinitorum, omnes delinquentes, ſecundum ſua demerita punire; quandoquidem & auctoritatem ad hoc faciendum habeant; & ex ſtatutis, & decretis maiorum, qua quodq; delictum pœna plecti debeat, ſatis, ſuperque declaratum ſit; & determinatum. Idq; ſub pœna depoſitionis à ſuis officijs irremiſsibiliter illis infligenda, à generali miniſtro, aut commiſſario, vel à delegatis ab eis, ad viſitandas prouincias particularibus commiſſarijs. Neque de cætero prætendant excuſationem ſuæ negligentiæ, colore honorandi generales miniſtros, & cõmiſſarios, qui differunt grauiorum ſcelerum punitionem, vſq; ad eorum, in dictas Prouincias, aduentum.

Confeſsiones Iuuenum noſtri ordinis, ideſt Clericorum, qui adhuc non ſunt ſacerdotalis ordinis dignitate inſigniti; & laicorum, qui non peruenerint ad ætatem ſaltem vigintiquinq; Annorum, non audiantur in cellis, ſed in capitulo, eccleſia, vel aliquo alio publico, & condecenti loco: ſub pœna priuationis actuum legitimorum.

Dignitate ordinis priuetur qui crimen enorme commiſerit.

Siquis poſt ingreſſum Religionis, commiſerit aliquod crimen, quod ſi illud commiſiſſet in ſeculo, dignũ eſſet morte; non aſſumatur ad dignitates ordinis, niſi oſtenderit maximam contritionem: & hoc de licentia Reuerendiſsimi Patris Generalis, vel Commiſſarij Generalis, ſi inde proueniat magna vtilitas ordini noſtro.

Circa promotionem fratrum ad dignitates ordinis, & collocationem eorundem in celebrioribus conuentibus, & ciuitatibus, cæteris paribus, præferendi erunt viri litterati, & docti; iudicium verò, tum de eorum probitate vitæ, tum etiam litteraturæ, erit ferendum à Miniſtro Prouinciali, cum diffinitoribus capituli.

Prędicatores eleemoſinã totam procuratori cõuentus aſſignent.

Circa Eleemoſynas prædicatorum, renouatur ſtatutum Salmanticenſis capituli; videlicet, prædicatores Eleemoſynas, eis, etiam prætextu prædicationis oblatas, non recipiant, nec de eis ſe intromittant: maximè, quando in proprijs concionantur prouincijs, ſed procuratori conuentus

inte-

integra aſsignentur. Hoc vno tantum addito, vt de eis à prouinciali Miniſtro pro rata alantur ſtudentes, qui dant operam litteris, extra ſuam prouinciam in ſtudijs generalibus, ne nimis grauentur prouinciæ.

Hortamur in viſceribus Ieſu Chriſti, omnes fratres, vt quantum fieri poterit, abſtineant ab audiendis confeſsionibus ſecularium in cellis, vel alijs locis priuatis: tum vt ex publica ſacramentorum adminiſtratione augeatur diuina laus, & proximi edificatio; tum etiam ut euitetur occaſio accipiendi ſibi Eleemoſinas, quas ex diuotione ſolent pœnitentes offerre. Super hoc onerantes conſcientias miniſtrorum & guardianorum, quibus præcipimus per ſanctã obedientiam, ut maxima utantur uigilantia, ut hoc obſeruetur, nec permitttant confeſſarios ab hoc deuiare præſcripto, niſi maxima urgente neceſsitate. Confeſſiones ſecularium nõ audiantur in cellis.

Quoniam propter exceſsiuum numerum fratrum exiſtentium in conuentibus noſtris, ciuitatis Neapolis, in reliquis Prouinciæ locis, non poſſunt integræ familiæ aſsignari, præcipimus, ut in Conuentu ſanctæ Mariæ Nouæ Ciuitatis Neapolitanæ, immorentur tantummodo quinquaginta ſacerdotes de familia, decem Clerici, & triginta laici, quibus iungendus eſt numerus ſtudentium, ſecundum arbitriũ Reuerendiſs. Patris generalis Miniſtri. Nec deinceps in celebrandis miſsis deſeruiẽt alijs Eccleſiis, niſi propriæ: immo nec monialium noſtri ordinis, ſed deputabuntur ali qui ſacerdotes, qui celebrabunt Miſſas ex teſtamento relictas, celebrandaſque in Monaſterijs monialium, in propria noſtra Eccleſia Annunciatæ, in hoc ſanctiſsimo Domino noſtro Papa diſpenſante; ut prohibeantur diſcurſus Fratrum per ciuitatem, & colloquia cum Monialibus euitentur, & alia, quæ materiam ſcandali (forſan) poſſent præbere. Hoc tamen non intelligitur, in caſu mortis alicuius monialis, pro cuius anima celebrandæ ſunt plures Miſſæ, in ſuo monaſterio; & in feſtiuitatibus eorundem monaſteriorum.

In Conuentu ſanctæ Crucis, eiuſdem Ciuitatis, erunt

tredecim

tredecim Sacerdotes, ſeptem Laici, Clerici ad libitum, qui grammaticæ operam dabunt.

In Conuentu montis Caluariј, erunt duodecim Sacerdotes, ſex Laici, & reliqui Clerici pro arbitratu R. P. Miniſtri Prouincialis, qui etiam operam dabunt grammaticæ.

Si contigerit exulare aliquos Fratres, ex decreto Illuſtriſsimi & Reuerendiß. Domini protectoris: vel ſi contigerit illos expelli, vigore ſtatutorum Generalium, mittantur ad propinquiorem prouinciam; in qua teneatur Miniſter ipſos acceptare ſub pœna priuationis officij.

Si quis fratrum, quando transfertur in capitulo, vel cõgregatione, de vno guardianatu; ad alium, conqueſtus fuerit de huiuſmodi tranſlatione, ſub prætextu quod fuerit ſibi iniuria illata, & quod eſſet præſtantiori loco præficiendus, priuetur officio Guardianatus ꝑ aliquot annos, vt diſcat ſuperioribus publicæque vtilitati inſeruire, non proprio affectui, morem gerere.

Quoniam detectæ ſunt nouæ apoſtatarum, aliorumq́; delinquentium adinuentiones, vt poſsint pœnam ſibi debitam euitare, viſum eſt contra eos hoc condere ſtatutum.

Quotieſcunque aliquis Fratrum apoſtatauerit, confeſtim à miniſtro Prouinciali pro tempore exiſtente, de eius apoſtaſia fiat mentio in regiſtro: vt ſi apoſtata redire diſtulerit, poſtquam præfatus miniſter officio functus erit (vt mos eſt ab ipſis fieri) non inueniat miniſtrum de nouo electum ignarum ſuorum delictorum, ſed conſcium ſuæ apoſtaſiæ; vt ſubeat pœnam ſibi debitam, ad aliorũ exemplum. Si autem præter apoſtaſiam de eo habeatur ſuſpitio criminoſa, miniſter formabit proceſſum contra ipſum, diligenterq́; inquiret de indicijs, & crimine prætenſo; ſeruando ſcripturas in Archiuio prouinciæ, vt in eius ſpontanea, vel coacta reuerſione, poſsit ſecum iuridicè agi, à quocunque eius legitimo ſuperiore, & non reportet beneficium ex culpa perpetrata. Hoc autem volumus vt omnino à miniſtris, ſub pœna priuationis ſuorum officiorum obſeruetur.

Decla-

Declaratur ſtatutum capituli Romani, de diffinitoribus, in hunc modum. Liceat diffinitoribus, cæteros fratres præcedere in choro, proceſsionibus, & menſa, vſque ad electionem aliorum Diffinitorum, nullo habito reſpectu antiquitatis in Religione. Finito verò eorum tempore, non liceat eis hoc munere potiri, ſed antiquiores in Religione ipſos præcedant, ac ſi nunquam habuiſſent huiuſmodi diffinitoratus dignitatem. Sed in congregationibus quæ pro emergentibus negotijs fieri ſolent, eodem gaudeant honore. In capitulis verò immediatè vocalibus ſuccedant.

diff durante tempore qui ... cæteros præ...

Quo ad Studentes.

Studentes quo modo ſe habere debeant.

STudentes Generales teneantur omnes, media ſurgere nocte, ad Eccleſiam conuenire, ad Matutinas preces celebrandas, vt domino ſe commendent, à quo eſt omnis ſapientia, tum vt caueant, ne malam induant conſuetudinem non ſurgendi media nocte ad laudandum Deũ, quam poſtea maiores facti, & prælati ordinis, deponere & exuere non poſſint. Si qui autẽ defuerint matutinis, pro prima vice priuabuntur medietate portionis vini, pro ſecunda vice, aut tertia, ſola illis aqua in refectione proponetur.

Tenebuntur quoque in diebus feſtiuis, ad maiorem Miſſam & veſperas conuenire.

Tenebuntur itidem, ad orationem priuatam, & meditationem rerum cœleſtium vnam horam diei expendere, aſſignandam à Guardianis eorum.

Tenebuntur pacificè & cum guardianis ſuis, & lectoribus, & inuicem conuerſari; & qui deprehenſi fuerint eſſe refractarij, rebelles, ſeditioſi, pacisq; aut ſtudij turbatores, ſi admoniti non ſe emendauerint, per Generalem Miniſtrum, aut Commiſſarium de hoc debitè inſtructos, à ſtudio confuſibiliter cum ignominia remoueantur.

Non conuerſabuntur alter in alterius cella ſilentij tempore: in alijs autem temporibus, non niſi ianuis apertis. Poſt occaſum autem ſolis, ſiue nocte, nulli liceat alterius cellam ingredi, aut commeſſationes & compotationes in dormi-

torio facere.

Tenebuntur Eleemoſynas, quas ab amicis pro ſtudio habebunt, in manus ſindici conuentus, in quo morabuntur deponi facere. Et qui in proprijs cellis, uel apud ſe, ſine licentia ſuperioris, & prælati, uel apud quempiam alium retinuerint, proprietarij plectantur pœna.

Semel tantum in menſe è conuentu pro ſuis, ſi quæ habebunt, negotijs, egredi poſſint, obtenta licentia à Guardiano. In reliquis clauſuram ſtrictiſſimè ſeruando; libros autem per lectorem, uel alium quempiam emi ſibi facient; ne ob hoc, egrediendi colorem ullum quærant.

Quo die ex conuentu egredi illis licuerit, ſicut ab igne ſibi caueant, ne uel domos aliquas ſuſpectas, uel monialiũ monaſteria accedant, ſub pœna expulſionis à Conuentu, & Studio.

Non tenebuntur ad proceſſiones, niſi generales, neque ad cætera onera conuentus.

Tenebitur unuſquiſque eorum, uicis ſuæ ordine, concluſiones publicas ſuſtinere, præſente lectore. Concluſiones autem publicæ ſemel ad minus qualibet hebdomada habeantur, diebus præſertim dominicis, ſi legitimum non obſit impedimentum.

Qui concluſiones ſuo ordine ſuſtinere noluerit, ſtudio priuetur iudicio Generalis Miniſtri, aut commiſſarij: quibus ſtatim per litteras lectores ſignificabunt, hanc ſtudentium negligentiam, aut proteruiam.

Vacabunt autem diligenter orationi, & bonis moribus primò, ſecundò ſtudijs, ſic tamen quod ſpiritum deuotionis non extinguant, cui cætera omnia deſeruient, ſint modeſti, manſueti, humiles, honeſtè, & reuerenter omnibus loquentes, ſicut decet Religioſos: Prælatis & lectoribus obedientes, eos ſincerè diligentes, & honorantes, ut ſimul cum bonis litteris, bonos quoque induant mores, quatenus deo & hominibus grati, Eccleſiæ Dei ſeruire utiliter poſſint, ad uitamque tandem peruenire ſempiternam.

Tene-

Tenebuntur ad minus ter in Hebdomada celebrare, qui Sacerdotes erunt; qui uerò diaconi, uel ſubdiaconi, bis Euchariſtiam ſumere, & diebus feſtiuis, & Dominicis.

Lectores tenebuntur ſemper adeſſe ſuis ſtudijs, & numquam à lectura deficere, niſi fuerint legitimè impediti. Poterunt tamen ſemel in menſe, uacare à lectione, & egredi monaſterium, ad recuperandas, ſi uoluerint, uires. Diebus Dominicis, quibus ſuſtentabuntur Concluſiones, non tenebuntur legere aliquam lectionem. Si autem per notabile temporis ſpatium abfuerint, uel legere noluerint, aut neglexerint, alij uice ipſorum illicò ſubſtituantur.

Strictè præcipimus, ſub merito ſalutaris obedientiæ, ut unaquæque prouincia habeat unam arcam, tribus clauibus diuerſis munitam, in qua ſeruabuntur ſcripturæ publicorum, & priuatorum negotiorum prouinciæ, erunt autem huiuſmodi claues, una apud miniſtrum prouinciæ, reliquæ uerò apud duos patres, à Miniſtro & Diffinitoribus electos. Arca pro ſcripturis ſeruandis i omnibus prouincijs habeatur.

FINIS.

TABVLA
CAPITVLI GENERALIS ORD. MIN. S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Anno Domini. M. D. LXXIX. Pariſijs celebrati.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

HAEC eſt Tabula Diffinitionis huiuſce celeberrimæ congregationis generalis in hoc Conuentu S. Franciſci Cordigerorum Pariſijs, anno Domini 1579. die ſexta Iunij, ſub Reuerendiſs. Patre Fratre Franciſco Gonzaga, ordinis minorum Generali Miniſtro celebrata.

Inprimis, octennio Reuerendiſs. Patris Fratris Chriſtophori à Capite Fontium abſoluto, Reuerendiſs. Pater Frater Franciſcus Gonzaga, Miniſter Prouinciæ ſancti Antonij, cum maiori omnium concurſu, & ſatisfactione, in Generalem Miniſtrum totius ordinis Minorum, cooptatus eſt.

Commiſſarius verò Generalis Ciſmontanæ familiæ, admodum R. P. F. Antonius Aquilarius, Miniſter Prouinciæ ſancti Iacobi, ab omnibus ferè ſuffragijs electus eſt.

Procurator in Romana curia inſtituitur, R. P. F. Daniel Meduna, prouinciæ ſancti Antonij cuſtos.

Commiſſarius verò eiuſdem curiæ, R. P. F. Hieronymus Gulman, Cuſtos Prouinciæ Conceptionis.

Diffinitores vltramontanæ familiæ.

R. P. F. Franciſcus Panigarola, Cuſtos prouin. Mediolani.

R. P. F. Angelus à Placentia, Cuſtos Prouinciæ Bononiæ.

R. P. F. Vincentius à Gaido, Cuſtos prouinciæ Brixienſis.

R. P. F. Paulus Souagius Etruſcus, Miniſter prouinciæ Principatus.

R. P. F. Thomas à Maſſa, Commiſſarius Prouinciæ Marchiæ pro Miniſtro.

R. P.

R. P. F. Daniel à Monferrato, miniſter prouinciæ Baſilicatæ.

Diffinitores verò Ciſmontanæ familiæ.

R. P. F. Georgius Kner, miniſter prouinciæ Argentinæ, ſuperioris Germaniæ.

R. P. F. Franciſcus de Toloſa, miniſter prouinciæ Cantabriæ.

R. P. F. Iacobus Berſon, Cuſtos prouinciæ Franciæ.

R. P. F. Ioannes Dubliul, miniſter prouinciæ inferioris Germaniæ.

R. P. F. Ioannes Portheſius, Cuſtos prouinciæ Turoniæ Pictauienſis.

R. P. F. Emanuel Cuchilla, miniſter Prouinciæ Algarbiorum.

Miniſter Candiæ R. P. F. Bonauentura à Nixia. Et eidem prouinciæ Candiæ, iunguntur Corcyra & Chium; & deinceps ipſa Prouincia habeat liberam facultatem eligendi ſuum Miniſtrum prouincialem, eo modo, quo cæteræ Prouinciæ habent.

Guardianus verò noſtri conuentus Hieroſolymitani, & totius terræ ſanctæ Commiſſarius, inſtituitur R. P. F. Antoninus de Angelis à Litio, Prouinciæ ſancti Nicolai.

Guardianus ſanctæ Claræ Neapolitanæ, et Commiſſarius aliorum Regiorum Monaſteriorum, R. P. F. Andreas de Arbo Pater ordinis, & Cuſtos Dalmatiæ.

Guardianus Diui Ioannis in Laterano, R. P. F. Hieronymus Mons Rodonius, qui conuentus ſit incorporatus prouinciæ Romanæ.

SEQVVNTVR STATVTA EDITA A dicto Capitulo Generali pro familia Tranſalpina.

*Q*Voniam ex oratione tot bona procedunt, vt nihil ferè magis commendetur quàm ipſa, in tota ſacra Orationi qualiter incumbendum.

 ſcriptura:

ſcriptura: Miniſtri Prouinciales ſub pœna depoſitionis ab eorum officijs, curent, vt ab omnibus patribus et fratribus, tam prælatis, quàm ſubditis, ipſi orationi obnixè incumbatur, & præſertim illi, quæ in ſtatutis generalibus, oratio mentalis appellatur, iuxta formam ipſorum ſtatutorum.

Viſitatorum apoſtolicorum decreta ſtrictè ſeruanda.

Viſitatorum Apoſtolicorum decreta, ea præcisè quæ ad Eccleſias & Sacriſtias pertinent, in vnaquaq; Prouincia reſpectiuè, vt, quoad fieri poterit debita executioni demandentur, diligenter curent Prouinciales Miniſtri. Et inſuper viſitabunt cuſtodias & tabernacula ſanctiſsimi Sacramenti, & cætera omnia quæ pertinent ad cultum diuinũ: & curabunt vt omnia venerabiliter habeantur.

Miniſtri curent vt ſtatuta generalia & ꝓuincialia imprimantur.

Prouinciales Miniſtri, exactà diligentia, dabunt operam, vt habeant omnia ſtatuta generalia, & præſertim Salmantica, Aquilana, Valliſoletana, & Romana, & vnà cum ordinationibus Prouincialibus, imprimi facient, vt ſingula ſinguli habeant conuentus. Idque præcipitur ſub pœna ob officio depoſitionis, & quòd illa inuiolabiliter obſeruari faciant.

Patres Procuratores, & Commiſſarij Curiæ Romanæ, teneantur omnia breuia, motus proprios, & bullas, poſthac ad ordinem noſtrum pertinentes & ſpectantia, dare prælo, & impreſſas, & impreſſa, ad omnes prouincias mittere, & ab eis, portionem expenſarum in impreſsione factarum, quæ ſingulis obueniet, exigere curent.

Et ad ſuſtollendos diſcurſus, & vagationes fratrum, & alia inconuenientia, quæ nihil addunt, ſed potius adimunt venerationi Religionis, præcipimus & mandamus Patribus Prouincialibus Miniſtris, per ſanctam obedientiam: ne fratres per Capitulum Prouinciale vel congregationem locatos, infra annum mutent, nec mutare locum permittant, niſi pro ſeruitio prouinciarum.

Apoſtata quã citius miniſtri gñali vel Cõmiſſario no. iſicandus.

Siqui fratres à ſuis prouincijs apoſtatauerint, teneantur Miniſtri eorum, ſtatim patrem Reuerendiſs. Miniſtrũ Generalem, vel patrem Commiſſarium Generalem certiores fa-

res facere de eorum apoſtaſia. Et eorum Guardiani, ſeu Præſidentes, aut Vicarij, prima refectione immediatè ſequenti, illos pro excommunicatis publicent, & denuncient in refectorio, & circa ipſos ſeruent ea, quæ præſcripta ſunt in ſtatutis generalibus Romanis. Monentur inſuper ipſi Miniſtri Prouinciales, quòd ſi receperint apoſtatas aliarum Prouinciarum, & ſi quos habent, ad propria non remiſerint, dabunt pœnas irremiſsibiliter in ſtatutis generalibus ſtatutas.

Miniſtri in quouis loco maturum aliquem & eruditum fratrē locent.

Et quia omnes ferè fratres alicuius nominis, nolunt habitare niſi in vrbibus & ciuitatibus, & alia loca non habitantur niſi à fratribus idiotis & ſimplicibus, qui petentibus nullum ſciunt dare conſilium ſalutare: vnde deuotio minuitur, quæ augeri deberet, & vbi magis deberetur, minus ſuccurritur, pro ſalute animarum. Nos cùm omnibus debitores ſimus, & omnia loca ſint Religionis, præcipimus per ſanctam obedientiam Miniſtris Prouincialibus, prouidere, vt quilibet conuentus habeat vnum Prædicatorem de familia; & ſi non fuerint tot prædicatores vt ſufficere poſsint, quoad fieri poterit, aliquem alium Patrem, aut fratrem probum, maturum, & eruditum, qui deuotioni populorum ſatisfacere valeat in illis locent. Atque huiuſmodi diſtributionem ita diſponant, vt vnuſquiſque præfatorum onus ſuum portet viciſsim, & nemini fiat iniuria. Idque per ſanctam obedientiam, et ſub pœnis nobis arbitrarijs ad amuſsim ſeruent, & ſeruari faciant.

Legata omnia miniſter prouincialis agnoſcat.

Circa materiam legatorum, quæ eccleſiis noſtris ſunt onerosa & indiſcreta, præcipimus omnibus & ſingulis Patribus Miniſtris, vt vnuſquiſq; huiuſmodi legata cum oneribus cognoſcat in omnibus locis ſuis, notamque eorū claram & diſtinctam ad primum Capitulum, vel congregationem Prouincialem portent: vt iuxta decretum Tridentini Concilij, cum Conſilio Patrum, ea, quæ moderanda erunt, moderari poſsint. Dabit enim operam interim Reuerēdiſs. P. Generalis cum ſummo Pontifice, vt conſcientiæ tranquil

litati

litati conſulat Reuerendiſsima P. eius, ex quo Capitulum hoc generale, ipſorum legatorum plenam notitiam non habens, quid agendum ſit, non potuit determinare.

Confeſſores fratrũ non ſint ignari caſuum miniſtro reſeruatorum.

Audire fratrum confeſsiones, nulli concedant Patres Miniſtri, qui neſciat caſus miniſtris reſeruatos. De ipſis autem caſibus fiat tabula, quæ omnibus in ſingulis locis innoteſcat. Ipſi quoque Miniſtri in ſuis uiſitationibus, in uno quoque conuentu alicui Patri, uel fratri probatæ uitæ & famæ, facultatem concedant, à dictis caſibus abſoluendi; dummodo ſint ſecreti, ut tranquilliori conſcientia unuſquiſque Deo, & Religioni inſeruire poſsit. Alÿ autem fratres à dictis caſibus abſoluere non audeant, ſub pœna excommunicationis.

Appellare nõ debet quis niſi poſt ſententiã datam.

Circa appellationes, ad unguem & inuiolabiliter obſeruetur mandatum Illuſtriſsimi pariterque Reuerendiſs. D. Protectoris noſtri, ſcilicet, quòd reis non liceat recurrere ad maiores Prælatos, uel ſuperiores, iuxta Breue ſanctiſsimi D. Papæ Gregorÿ XIII. niſi poſt ſententiam Prouinciæ datam: poſt quam, reo, ſi appellauerit, Miniſter ſeu Commiſſ. prouincialis, proceſſus copiam fidelem, aſsignare teneatur, clauſam & ſigillatam, afferendam per ipſum, ad iudicẽ appellatum, cum obedientia eum adeundi. Verùm ſi reus uidebitur dignè ſuſpectus de fuga, non permittatur ire: ſed remaneat in loco detentionis, & proceſſum Iudex à quo, mittat ut ſupra, ad dictum Iudicem appellatum. Quòd ſi repertus fuerit reus indebitè iudicatus, punietur qui eum iudicauit: ſi verò bene fuerit condemnatus, duplicabitur ei iniuncta pœna. Sin autem, dicta ſententia non expectata, ipſos ſuperiores adiuerit, ad ſuum Miniſtrum, ſeu Commiſſarium, à quo diſceſsit, remittetur ad iudicium expectandum, & pœnam apoſtaſiæ luet.

Ordinandi prius à patribus deputatis examinentur

Clericos profeſſos ad ſacros ordines accedere non concedant Patres Miniſtri, neque item ſacerdotes confeſſarios inſtituant, antequam, legitimæ ætatis teſtimonio in ſcriptis allato, de moribus & uita ſint probati. Doctrina etiam

per

per Patrem Miniſtrum Prouincialem, vel aliquos alios fratres per ipſum deputatos, diligenti examine probentur, cuius probationis teſtimonium ſcripto habeant.

Pro vtraque familia.

Illuſtriſſimus dominus Protector, ex mente ſanctiſſimi D.N. Gregorij XIII. prohibet, ne quis deinceps, amicitias vllas priuatas, cum vllis cuiuſcunque ordinis Monialibus, ſub deuotarum, vel ſimilium nominū nuncupatione, contrahat: vel retro uſque in hunc diem contractas perennare, ſiue continuare auſit: ſub pœna priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, & inhabilitatis perpetuæ, ad omnia ordinis officia, ipſo facto incurrenda: ſimulatque legitimè de tali amicitia contracta; vel retro contractæ continuatione, conſtiterit. Amicitiæ Monialium cuiuſuis ordinis prohibeatur.

Miniſtri Prouinciales declarantur eſſe quadriennales.

Pro Ciſmontanis.

Capitula intermedia, ſiue congregationes reſeruantur Miniſtris Prouincialibus, alia verò ad arbitrium Reuerendiſſ. Patrum Miniſtri, & Commiſſarij Generalis Ciſmontani.

Miniſtri Prouinciales legitimè præpediti, quòminus adeſſe poſſint Capitulo generali, poterunt mittere Commiſſarios electos à Diffinitoribus, qui proficiſcentur ad Capitulum generale, vbi vocales erunt, actiuè, & paſſiuè.

Nullus incorporetur à Prouincia in Prouinciam, niſi poſt biennium, & de conſenſu Miniſtri & Capituli: quo facto, non poſſit à Prouincia reijci: ſed ſi deliquerit, ibidem puniatur. Incorporari quis non poteſt niſi poſt biennium.

Nullus Guardianus ſiue frater exeat terminos ſui conuentus, pro colligendis eleemoſynis in terris alterius, niſi de conſenſu Guardiani loci.

Regantur Prouinciæ ſecundnm ſtatuta Barchinonenſia &

& ſecundum ſtatuta prouincialia vſuata, nec grauentur prouinciæ multitudine ſtatutorum.

Commiſſarij nil poſſunt cō tra prouinciæ ſtatuta niſi de conſenſu patrum.

Commiſſarij non liceat aliquid agere, aut decernere contra ſtatuta & conſuetudines prouinciarum, niſi de conſenſu Miniſtrorum prouincialium & Diffinitorum.

Pro Monialibus Hiſpaniæ.

Abbatiſſæ ſint triennales: & abſoluto triennio non poſſint niſi poſt tres annos reeligi.

Pro Gallis.

Penſio omnium ſtudentium pariſienſium ſit æqualis.

Studentes pariſienſes, abſoluto curſu, teneantur redire ad ſuam prouinciam, ſub pœna apoſtaſiæ: & extra conuentum pariſienſem ſint in obedientia ſuorum Miniſtrorum prouincialium. Et ſi intra quatuor menſes non redierint, ſint curſu priuati, niſi intercceſſerit cauſa legitima à Miniſtris prouincialibus, aut diſcretorio probata. Tunc enim redeuntes poterunt, cum teſtimonio prouincialium ſuorum recipi.

Nulli beneficiati habeant officia ordinis, aut dignitates prælaturæ.

Concordata ſtatuta, & priuilegia trium prouinciarum, Franciæ, Turoniæ, & ſancti Bonauenturæ, rata habeantur, dummodo fuerint antea per Reuerendiſſ. Miniſtros Generales confirmata.

Statuta pro Hiſpanis.

Qui fuerunt prouinciales Miniſtri, ſi ſint præſentes, habeant vocem in Capitulo prouinciali, cui adeſſe poterunt, ſi libuerit.

Guardiani, abſoluto quadriennio, non fungantur Guardianatu in eodem conuentu.

Renouatur ſtatutum Metinenſe, de Diffinitore ſubrogando per prouincialem, & Diffinitores, ubi unus Diffinitorum obierit.

Numerus Defunctorum Fratrum.

Mortui ſunt à Capitulo Romano fratres 6359. ex quibus

bus plures pro confeſſione fidei Catholicæ, ab hæreticis interfecti fuere: potiſſimum viginti ſeptem in prouincia Germaniæ inferioris: quorum animæ requieſcant in pace.

Sequuntur Suffragia.

Quoniam ſanctiſſimus Dominus noſter Gregorius XIII. vltra immortalia, pro ſua ergo nos ſingulari beneuolentia & protectione, beneficia nobis collata, contemplatione huius noſtri Capituli generalis ad nos, & ad hunc populum pariſinum ampliſſimam deſtinauit indulgentiam: pro eius incolumitate, & fœlicitate, à quolibet ſacerdote dicantur tres miſſæ; & à quolibet laico, centum pater noſter. cum totidem Aue Maria. & à Clericis, pſalmi pœnitentiales ſemel.

Pro Cæſarea Maieſtate, dicatur una miſſa, à quolibet ſacerdote.

Pro Chriſtianiſsima Maieſtate Regis Henrici III. Galliarum, noſtri ordinis amantiſſimi, qui ultra beneficia innumera, quæ nobis quotidie pro ſua in nos ſingulari beneuolentia præſtat; pro noſtri Capituli generalis expenſis faciendis, ingentes dedit eleemoſynas: proque Regina Chriſtianiſsima eius conſorte, ac pro excelſo Domino Duce Alenconio ipſius ſereniſſimi Regis fratre, ſingularibus benefactoribus: à quolibet ſacerdote tres miſſæ dicantur.

Pro Catholica et Regia Maieſtate Regis Philippi, qui nos pro ſua admiranda in religionem noſtram beneuolentia, inter uarias noſtri temporis tempeſtates, quibus poteſt beneficijs fouere non ceſſat: pro quolibet ſacerdote tres miſſæ dicantur.

Pro ſereniſſimo Rege Portugalliæ, duæ miſſæ dicantur.

Pro Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Cardinalibus Protectore noſtro Cardinali Alciato, ac cætero Cardinalium Senatu, duæ miſſæ à quolibet ſacerdote dicantur.

Pro omnibus Principibus Chriſtianis, ac cæteris benefactoribus noſtris, & inter cæteros pro Illuſtri Domina Comitiſſa de Varax, à ſingulis ſacerdotibus vna miſſa dicatur. Et

vniuerſaliter

afficiebatur pietate; à ſingulis ſacerdotibus, miſſa vna continuò dicatur.

Pro Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium, & Reuerendiſſimorum Patrum defunctorum, qui noſtræ Religionis Protectores, ac Generales fuerunt, animabus; ab omnibus, & ſingulis ſacerdotibus, duæ miſſæ dicantur; & in ſingulis conuentibus, officium vnum ſolenniter decantetur.

Pro benefactoribus noſtris omnibus, & præſertim, ijs, qui nos in hoc capitulo perhumaniter, & charitatiuè, ſuis eleemoſinis largiter alere dignati ſunt; vna miſſa, à quolibet ſacerdote celebretur.

Omnium, ac ſingulorum, Prouinciæ noſtræ fratrum defunctorum animabus, requiem, & gloriam, Dei benignitate ſemper optamus; pro quibus, vna miſſa, à quolibet ſacerdote dicatur.

Apoſtatæ omnes prouinciæ noſtræ, auctoritate Dei, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, anathematizantur, et excommunicantur, ac pro excommunicatis declarantur.

Deum tamen miſericordem, obnixè rogemus; vt illos, tanquam oues errantes, ac putridas, ad gregem ſuum reducat, & ſanet, Amen, Amen.

Reuerendum admodum Patrem Miniſtrum noſtrum, Venerandos Patres Diffinitores, ac Reliquos Prouinciæ patres, necnon, & totam Prouinciam ipſam, tam fratrum, quam monialium, Deus omnipotens ſeruet incolumes; & in eius mandatorum viam, ac ſanctæ profeſſionis obſeruantiam, ſemper dirigat. Amen. Amen.

Ex parte Dei omnipotentis, & Seraphici patris noſtri Franciſci benedicuntur omnes, & ſinguli, huius noſtræ Prouinciæ fratres, & Moniales, tàm abſentes, quàm præſentes. In nomine Patris, & filij, & ſpiritus ſancti, Amen.

Forma Fidei receptionis Nouitiorum ad Religionem, ab omnibus æquè ſeruanda, & in librum cuiuſque Conuentus reſpectiuè referenda, atq; ad R. P. Miniſtrum pro tempore exiſtentem, dirigenda, in Archiuio Prouinciæ perpetuò conſeruanda, de qua in Decretis noſtris fit mentio. Cap. VI.

IOANNES Angelus Medulla, à Clarella, Franciſco Teſſera, Medulla vocato, & Ambroſina Ghiſulfa parentibus natus, baptizatus, & confirmatus; anno ſuæ ætatis xv. de licentia, & mandato, Multùm R.P. Fratris Egidij Boſij, de Genua, Prouinciæ Miniſtri, in Eccleſia Conuentus Sancti Martini, apud Clarellam, coram altari maiori, vbi ſanctiſsimum Chriſti Corpus aſſeruatur: præſentibus dicti Conuentus fratribus, per manus Patris Fratris Hieremiæ à Clarella, Brandoardi, eiuſdem Conuentus Guardiani, Habitum Religionis Sancti Franciſci, de obſeruantia, deuotè ſuſcepit; cui nomen, Frater Claudius, impoſitum eſt, die XIII. Iunij. M. D. LVIII.

Ego Frater Hieremias qui ſupra, Guardianus, confirmo ut ſupra, manu propria.

Ego Frater Claudius Medulla, Nouitius, confirmo vt ſupra, manu propria.

Ego Frater N. Præfati Conuentus Antiquior Diſcretus, confirmo vt ſupra, manu propria.

Forma fidei profeſsionis Nouitiorum, ab omnibus utſupra ſeruanda, referenda, dirigenda, et conſeruanda. Cap. VII.

FRATER Claudius Medulla, à Clarella, Clericus, Nouitius, ætatis annorum ſexdecim, tempore ſuæ probationis expleto, omnibuſuè, quæ, & Regula, & Maiorum noſtrorum Decretis, & Conſtitutionibus, præſcripta ſunt, ritè ſeruatis: de licentia, & mandato Multùm R.P. Fratris Antonij Vicedomini, de Placentia, Prouinciæ Miniſtri, in Eccleſia Conuentus Sanctæ Crucis Papiæ, coram altari Maiori, vbi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur, præſentibus dicti Conuentus fratribus, in manibus Vener. Patris Fratris Ioannis Mariæ Boſij, Genuenſis, eiuſdem Conuentus Guardiani, Religionem Sancti Franciſci de obſeruantia, ſolenniter profeſſus eſt, die decimaquinta Iunij M.D.LIX.

Ego Frater Ioannes Maria Boſius, qui ſupra, Guardianus, confirmo vt ſupra, manu propria.

Ego Frater Claudius Medulla, qui ſupra, confirmo vtſupra, manu propria.

Ego Frater Raphael Bonetus, dicti Conuentus Antiquior Diſcretus, omnia ſupraſcripta confirmo, manu propria.

FINIS.

BVLLAE MOTVS PROPRII, AC BREVIA

Quædam

LEONIS DECIMI, PAVLI IIII. Pij Quinti Summorum Pontificum, Ac S.D.N.Gregorij Papæ XIII.

Ad Religionem noſtram in genere, vel in ſpecie quoquo modo ſpectantia.

BVLLA VNIONIS FRATRVM MINORVM Felicis Memoriæ Leonis decimi.

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuã rei memoriam. Ite vos in vineam meam, ait homo ille pater familias qui plantauerat vineam mundi, Saluator atque redemptor, Dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui etiam etſi curã gerat de omnibus, cunctaque dirigat, quæ ipſe fecit; attamen inter cæteras plantationes, quas per ipſum, pater cœleſtis,in ſolo plantauit militantis Eccleſiæ, vineam quandam,tam ardenti proſecutus eſt amore, vt ſuam velut propriam vbiuis illam appellet: hanc ſiquidem vineam, ſic aſſiduis, ſolertibus, ac fidelibus excoluit agricolis; vt alios primò mane, aliòs hora tertia, ſexta, nona, decima verò & vndecima, quaſi inceſſanter cultores tranſmiſerit.

Religio eſt vinea.

Hæc eſt ſacra illa minorum fratrum Religio, quæ virentibus cærimoniarum folijs, per viros Apoſtolicos, tamquam per palmites extenſos à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum, immo aqua ſapientiæ, & ſcientiæ, irrigauit montes, & impleuit terram. Hæc eſt Religio,ſancta,& immaculata; in qua per ſpeculum ſine macula, Redemptoris contemplatur præſentia; vitæ Chriſti, & Apoſtolorum,inſpicitur forma; per quam,priorum Eccleſiæ fundatorum,ante oculos Chriſtianæ plebis,reducitur norma. Quæ demum nihil niſi diuinum, Angelicum omni perfectione refertum, Chriſtoque

hil

nihil niſi conformæ, vt non immeritò ſua dicatur : repræſentat.

Ad hanc vineam excolendam, primò mane, oriente iam ſo le, miſit ipſe paterfamilias Angelum illum aſcendentem ab ortu ſolis, habenté ſignum Dei viui, Beatum Franciſcum; qui comitantibus mirè ſanctitatis viris, primæ vitis huius, iaceret fundamenta. His, ſucceſſerunt viri religioſi; qui, duce B. Bonauentura, Muros huius vineę, iam vtrinque ruinam minantes, hora tertia, Trinitatis Sanctæ virtute, & adiutorio, reparauerunt. Poſt hos, veluti hora ſexta, prodiderunt ſpiritu feruentes fratres nonnulli; qui à ſacro Viennenſi Concilio, tanquam à Deo miſſi & confortati, eneruatam penè diſciplinæ cenſuram, ad ſua principia reuocarunt, Hora vero nona, moriente Domino ſuo, gentibus in dies malis, & ſcandaloſis huius vineæ agricolis, ſuſcitauit ſpiritum adoleſcentis, paucorum videlicet fratrum, qui ſignifero nominis Ieſu, Bernardino Ductore, & præſide, ſacri Concilij Conſtantienſis freti præſidijs, languentem, immò penè mortuum, per orbem vniuerſum, ordinem viuificarunt. Nouiſſimè verò diebus iſtis, quaſi hora vltima, apparuerunt viri alij, qui zelantes pro domo Iſrael, ſucciderunt lucos, & demoliti ſunt delubra; ac vbi abundabat peccatum, adiuuante Domino, curauerunt per introductam reformationis normam, vt ſuperabundaret & gratia. Sed veluti inter parabolicos, & euangelicos illos vilicolas, quia nouiſſimi ęquabantur prioribus, murmur ſurrexit non paruum; Sic acclamantibus Regibus, Principibus, Communitatibus, & Populis, graues lites, & iurgia, ac diſſenſiones, occaſione ſuperioritatum, & perfectionis graduum, inter aliquos huius religionis profeſſores, per totum mundum magis, ac magis augeri, dietim accepimus.

Angelus ab ortu ſolis ſanctus Franciſc.

S. Bonauent. ordiné reparauit.

In Viennenſi Concilio reformatur religio.

S. Bernardinus Dux reformatorum.

Querele Principum.

Quare, nos cuius zelus ab ætate tenera, ardéti deuotione efferbuit, ad huius ordinis profeſſores, & ordinem ipſum totum; Nunc verò ex communi cura procurationis, & paſtoralis regiminis, quam immeriti ſuſtinemus, ad componendas huiuſmodi agricolarum lites, & ſedandas murmurationes, illius euangelici procuratoris more, tantò prouocamur ardentiùs, quantò frequentiùs, intenta mente, recolimus fructus vberes, quos ex eorum exemplari vita, & ſalubri doctrina, vniuerſali Eccleſiæ, continuè cernimus prouenire; necminùs continuis Principũ Chriſtianorum, præſertim cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorũ, Maximiliani Imperatorem electi, & Franciſci Chriſtianiſſimi Francorum, ac Caroli Catholici Hiſpaniarum, Henrici VIII. Angliæ, & Emanuelis Portugaliæ, Algarbiorum, & Ludouici Vngariæ, & Boemiæ, ac Siſmundi Poloniæ, necnon Criſtierni Datiæ Regum Illuſtriũ, necnon nonnullorum Principum aliorum, Ducum, Comitum, Populorum, & communitatum, pijs prouocamur ſupplicationibus, & precibus, quibus pro pacandis huiuſmodi diuiſionibus, in ordine diui Franciſci exortis, non ceſſant vſque hodie, apud nos poſtulare. Deputatis igitur à nobis, in ſecreto noſtro Conciſtorio, aliquibus, ex ven. fratribus noſtris, S. Rom. Eccleſiæ Cardinalibus; cauſas, & ſeminaria huiuſmodi iurgiorum, & diuiſionum diligenter perquirere, ac de remedijs opportunis, pro ſedandis præfatis litibus, pertractare commiſimus, & iniunxi-

Imperator, Reges & principes.

iniunximus: qui longo maturæ diſcuſſionis examine, diligentiſſimè,ac fideliſſimè iuſſa complentes,relatione per ipſos nobis facta,necnon pen ſatis per nos acutiùs, quæ per ipſos,pro huiuſmodi concordia tractata, & examinata fuerunt; habita etiam ſuper ijs, in dicto Conciſtorio noſtro,cum eiſdem,ac cum reliquis eiuſdem Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, matura deliberatione, & eorum vnanimi conſilio,præfato ordini,modo infraſcripto,iudicamus prouidendum.

Quia in primis, compertum habemus,prælatorũ diuerſitatem, quorundam perpetuitatem, cæterorum verò fratrum vitam non reformatam,huiuſmodi litibus, & diuiſionibus, plurimùm cauſæ præbuiſſe; ea propter,volumus, & ordinamus, prout in dicta regula beati Franciſci continetur,vnum Miniſtrum Generalem totius ordinis, de cætero omnibus,& ſingulis fratribus eiuſdem ordinis,cum plenaria poteſtate,quę ex regula, ſibi competit,præfici. Cui, omnes, & ſinguli prędicti fratres, in omnibus, quæ non ſunt contra Deum, animam ſuam,& Regulam, firmiter teneantur obedire. Qui quidem MiniſterGeneralis,per ſex annos ad plus,Generalatus fungatur officio.

Miniſter vnus generalis in toto ordine cõſtituitur.

Miniſter generalis per ſex annos duret.

Infra quem terminum,ſi aliquo tempore,appareret vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium,& Cuſtodum, prædictum Miniſtrum Generalem,non eſſe ſufficientem,ad ſeruitium,& communem vtilitatem fratrum; teneantur prædicti fratres,in nomine domini, alium ſibi eligere.

Quibus quidem ſex annis,vt præfertur,expletis,ipſo facto ſit abſolutus à Generalatus officio & pro tali ab omnibus habeatur.

Electio verò ſucceſſoris,fieri debeat, à Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus reformatis, tam ciſmontanis, quàm vltramontanis,in Capitulo Generali,dicti ordinis,in feſto Penteceſtes, in loco quem Miniſter Generalis,cum capitulo generali proximè præcedenti, duxerint aſſignandum, Ad quod capitulum,omnes Miniſtri,& Cuſtodes, ſiue vocales, tàm ciſmontani, quàm vltramontani,accedere teneantur.

Min. & Cuſto. tenenturire ad capitulum generale.

Et ne caput,à ſuis membris,difforme appareat, volumus,& etiam ordinamus,quòd nullus frater,poſſit eligi in Miniſtrum generalem, niſi vitam ducat reformatam, & pro reformato, à communitate habeatur. In præfata verò electione Miniſtri generalis, nullus penitus vocem habeat, niſi reformatus, & pro reformato à Congregatione reformatorum habeatur: quòd ſi in futuro, quicquam in contrarium attentatum fuerit, irritum penitus, & inane habeatur. Quò verò ad electionem futuri Miniſtri generalis,in proximo feſto Pentecoſtes,in Conuentu de Aracœli,de Vrbe,iuxta aliam noſtram ordinationem, in litteris in forma breuis contentam celebrandam; Statuimus,omnes Miniſtros,& Cuſtodes reformatos, ac Vicarios,& diſcretos fratrum de obſeruantia, ſeu familia,dictam electionem celebrare debere, Et vt præfata electio Miniſtri generalis,quæ ſecundum prædictam regulam,à Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus fieri debet,liberè ſecundum intentionem eiuſdem regulæ, & abſque quouis ſcrupulo celebretur, declaramus Omnes Prouinciales Vicarios fratrum de familia, ſeu obſeruantia, veros Miniſtros eſſe,ipſosq; ad effectum electionis huiuſmodi in Miniſtros ordinamus

Generalis debet eligi de reformatis, & à reform.

Vicarij prouinciales instituunturMiniſtri.

dinamus & inſtituimus. Diſcretos etiam ipſorum, ſimiliter declaramus eſſe Cuſtodes.

Quò verò ad alios fratres reformatos, volumus quòd in Prouincijs, in quibus Miniſtri pro tunc non ſunt reformati, nec pro reformatis habiti, ſub quibus ſunt aliqui conuentus reformati, duo fratres electi à præfatis conuentibus reformatis, ſecundum aliarum litterarum noſtrarum tenorem, ſub forma breuis, voces Miniſtrorum non reformatorũ, quantùm ad præfatas Prouincias, pro hac vice dumtaxat, ſuppleant. Fratribus verò de Congregatione fratris Amadei, de Clarenis, de ſancto Euangelio, ſeu capucio, pro ſingulis prouincijs in quibus ſunt conuentus, vltra ſuorum vicariorum voces, duas voces pro hac ſolùm vice, concedimus: quam quidem electionem, à præfatis fratribus, de huiuſmodi generali Miniſtro faciendam, canonicam, ſecundum minorum fratrum regulam, ac formam, à Beato Franciſco in regula traditam, eſſe, diffinimus, & etiam declaramus. Et vt in ordine ipſo, quantùm, cum Deo, fieri poteſt, pax conſeruetur, & charitas per ampliùs, inter ciſmontanos, & vltramontanos fratres eiuſdem ordinis, nutriatur: Ordinamus quòd ſi miniſter Generalis (vt præfertur) per ſex annos de ciſmontanis fratribus electus fuerit: ſequentibus ſex annis, de vltramontanis fratribus, eligi debeat: quem modum, alternatis vicibus, in perpetuũ volumus ab ipſis fratribus obſeruari. Verùm quia conſpicimus, ipſum ordinem per vniuerſam Chriſtianitatem, mirum in modum dilatatũ, & ne ob huiuſmodi amplitudinem, debito paſtoralis regiminis, careat beneficio, Decernimus, quòd ſi miniſter generalis de ciſmontanis electus fuerit, inſtituat in partibus vltramontanis, vnum generalem Commiſſarium, ab eiſdem vltramontanis fratribus eligendum; cui, miniſter generalis, ſuper præfatos fratres vltramontanos, vices ſuas committat, prout capitulo generali expedire videbitur. Ita tamen quòd commiſſarius, præfato miniſtro generali, omnimode ſubijciatur, vt cæteri dicti ordinis prælati ſubijciuntur; ac illi per omnia, ſecundum regulam obedire teneatur. Dum verò Miniſter generalis, fuerit ex vltramontanis fratribus electus; tunc pariter commiſſarium generalem ciſmontanum, inſtituere debeat, pari modo, quo de vltramontano Commiſſario ſuperiùs dictum, & ſtatutum eſt. Qui quidem Commiſſarius generalis, per triennium ſolùm, generalis commiſſionis fungetur officio. Quo triennio elapſo, nouus commiſſarius, per Miniſtrum generalem, in capitulo generali, vt ſupra, eligendus, ſecundum quòd vltramontanis vel ciſmõtanis de Commiſſario fuerit prouidendum, inſtitui debeat. Miniſter verò generalis in partibus, in quibus, ſuis ſex annis fuerit, & ad alias partes ſe conferre voluerit, pro tempore, quo abſens fuerit, Commiſſarium loco ſui, de conſilio, & aſſenſu, diffinitorum Capituli generalis huiuſmodi, dumtaxat, relinquere poſſit. Et in partibus, quibus, dictis ſex annis, non erit Commiſſarius generalis, tenebitur miniſter generalis, primo triennio dictorum ſex annorum, celebrare vnum capitulum generale, ad quod conuenient vocales illarum partium, à quibus aſſumptus fuerit; & ſimiliter aliud capitulum, in partibus à quibus aſſumptus non

Generalis ſex annis ſit ciſmõtanus, & ſex alijs vltramont.

Commiſſarius generalis eligendus.

Quando Generalis tranſit vltramõtes inſtituat Commiſſa.

Alia Congregatio generalis facienda.

regulam ſubijci debeant. Conuentuales verò ſecundum priuilegia viuentes, quomodo eiſdem miniſtris generali, & Prouincialibus ſubijci, & obedire debeant, per alias noſtras deſuper edendas litteras declarabimus. Cæterum, vt diſſenſionum, ſcandalorum, & partialitatum fomes, penitus ab ipſo ordine tollatur. præcipimus firmiter, & mandamus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſo facto incurrendæ, à qua, nullus præterquam in mortis articulo, niſi à nobis, aut à ſede Apoſtolica poſſit abſolui: ne aliquis frater ordinis Sancti Franciſci, appellet alium fratrem eiuſdé ordinis, malitiosè, irriſoriè, ſeu improbriosè, priuilegiatum, Coletanum, Buliſtam, Amadeiſtam, Clarenum, de euangelio, ſeu de Caputio, Bigotum, aut alio quouis nomine: etiam de nouo reperto, ſeu fortè, in futurum, occaſione priorum diuiſionum ipſius ordinis, vel huius noſtræ Sanctæ inſtitutionis, & vnionis, ſpiritus ſancti gratia, compoſitæ: à quocunque imponendo, ſeu alio quouis irriſorio, iniurioſo, ſeu improperioſo nomine, aut quod, pro improperioſo à patientibus, habetur, necnon omnibus, tam clericis quàm laicis, ne fratres huiuſmodi, aut eorum fautores, præfatis nominibus irriſoriè, ſeu malitiosè appellet; ſed omnes fratres ipſius ordinis, fratres Minores, vt præfertur, ſeu Sancti Franciſci, à ſeipſis & omnibus alijs nominentur. Item ſtatuimus quod de cætero, nullus frater reformatus, poſſit per quemcunque prælatum ordinis, & Miniſtrum generalem, mitti ad morandum ad aliquem conuentum non reformatum, aut pro reformato non habitum: excepto quòd ſi capitulis Prouincialibus, videretur minus malum, aliquem fratrem licentiare ad nondum reformatos, quàm ipſum cum reformatis retinere; tali caſu poſſint prælati mittere fratrem, ſeu fratres reformatos, ad nondum reformatos: Inhibentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, omnibus, & ſingulis Conuentualium ſecundum priuilegia viuentium, prælatis, ac fratribus, ne aliquem ex præfatis reformatis (niſi modo prædicto) recipere audeant. Similiter & dictis reformatis fratribus, ſub eadem pœna, ne ab obedientia ſuorum Miniſtrorum, nullatenus quàm modo prædicto recedant. Et ne ex nouarum ſectarum in dicto ordine forſan introductione fienda, ordinem iterum in rixas deuenire oporteat: Volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter præcipimus, & mandamus, quod de cætero nullæ nouæ ſectæ, vel reformationes in dicto ordine introducantur aut fiant, abſque Miniſtri generalis, aut Prouincialium Miniſtrorum reformatorum in ſuis prouincijs reſpectiuè expreſſo aſſenſu. Ita tamen quod dictæ reformationes, ipſi Miniſtro generali, & prouincialibus reformatis per omnia iuxta regulam ſubijciantur; vt ſupra expreſſum eſt, de alijs reformatis, quapropter, omnes domos, loca, & eremitoria, quæ fratres de obſeruantia, ſeu familia, ſeu alij reformati ſub miniſtris quocunque nomine appellati fuerint, hactenus tenuerunt, & poſſederunt: ipſi Miniſtro generali, & Prouincialibus Miniſtris reformatis, & per nos, ſic inſtitutis, & declaratis, in ſuis prouincijs reſpectiuè perpetuò ſubijcimus; & incorporamus. Volentes loca ipſa, per ipſos miniſtros, ac eorum ſucceſſores reformatos, perpetuò teneri, & poſ-

Conuentuales ſecundũ priuilegia viuentes.

Buliſta Amadeiſta Clarenus, vocetur nullus.

Iniurioſum verbum non dicatur.

Omnes fratres minores nominentur.

Nouæ ſectę nõ introducãtur.

Omnes reformæ ſubijciantur Miniſtris.

Lites extinguntur.

ſideri,& regi,& gubernari. Quaſcunque lites,deſuper exortas coram, quibuſcunque iudicibus, ordinarijs,vel delegatis,etiam S. R. E. Cardinalibus & dicti ordinis Protectore, aut Sacri Palatij noſtri Auditoribus, ſiue Commiſſariis Apoſtolicis,tam in Rom. Curia,quàm extra eā dem,& tam inter prælatos, quàm etiam inter ſubditos, in quibuſcunque.ſtatu, vel inſtantia, tam ſuper poſſeſſorio, quàm petitorio, ſeu & ſpolio, ſi quomodolibet prætendi poſſit, deſuper penden. & ſi huiuſmodi loca de obedientia,& de capitulis fratrum Conuentualium, dicti ordinis priùs fuiſſent: ad nos aduocamus penitus,& extinguimus,ſilentium perpetuum partibus imponentes,ſententias quoque, & proceſſus, per quoſcunque iudices in eis habitos, & latas, ac inde ſecuta quæcunque,etiam ſi lites ipſæ,ratione locorum fratrum,& bonorum, ſiue inde receptorum, aut cuiuſcunque alterius rei occaſione, vel cauſa,motę fuiſſent,caſſamus & annullamus. Et nihilominus dictis fratribus Conuentualibus, necnon quibuſuis iudicibus, ac alijs quibuſcunque, ne quicquam contra huiuſmodi noſtram declarationem, inſtitutionem, innouationem,vnionem, & incorporationem, in iudicio, vel extra, attentare, procurare, iudicare, pronuntiare, & ſi eis per nos commiſſum exiſtat; ſeu in futurum committatur, præſumant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ,ac priuationis beneficiorum que obtinent: ac etiam inhabilitationis ad alia in poſterum obtinenda, eo ipſo incurrenda, inhibemus, præcipimus, & mandamus. Demum,vt ſecundum exigentiam locorum, perſonarum, & morum, cuncta quæ conducere videbuntur, pro manutenentia reformationis, per totam Chriſtianitatē, in dicto ordine, iam diuina gratia introductæ, iuſtè,prouidè. & diſcretè,valeant ſtatui,& ordinari, Volumus Capitulum generaliſſimū proximè celebrandum,teneri deputare,ex probatioribus doctoribus,ac magis expertis fratribus, nonnullos ex diuerſis regionibus aſſumptos:qui omnia,& ſingula,quæ pro manutenentia reformationis, & vera regulæ obſeruantia, ac huius noſtræ conſtitutionis debita executione, accommoda iudicauerint,in vnum recolligant:approbanda per totum Capitulum, vel maiorem partem eiuſdem,ac tandem per nos Apoſtolicæ confirmationis patrocinio munienda. Et nihilominus moderno,& pro tēpore exiſtenti,Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori,necnon Vniuerſis Archiepiſcopis, & Eccleſiarum prælatis,ac quibuſcunque dignitatē Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli,præſentes noſtras litteras,& in eis contenta quæcunque,vbi,& quando opus fuerit,ac quotiens,pro parte dicti generalis, ac Prouincialium miniſtrorum reformatorum, ſeu alicuius eorum,ſuper hoc requiſiti fuerint,ſolenniter publicantes,eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio, aſſiſtentes,faciant eos,omnibus & ſingulis prædictis,pacificè frui,& gaudere; non permittentes eos deſuper per quoſcunque quauis auctoritate fungentes,quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia,inuocato etiam ad hoc,ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, appellatione poſtpoſita compeſcentes. Non obſtante quibuſcunqꝫ

Obedientia.

Pro manutenētia reform.ſiāt ordinationes.

litteris Apoſtolicis,& indultis,& ſacri Concilij Conſtantien.dictæ religionis fratribus, familijs, congregationibus, denominationibus, aut alicui eorum, ſiue illarum auctoribus, & inſtitutoribus, Conuentualibus, ſiue reformatis, aut de familia fratribus, ſub quibuſuis verborum formis, ſolennitatibus, & clauſulis fortioribus, & inſolitis conceſſis, ſeu forſitan in futurum concedendis, etiam ſi tales forent, quòd de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, expreſſa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, mentio eſſet habenda: quibus quo ad præmiſſa expreſſè derogamus, cęteriſque contrarijs quibuſcunque. Cęterum, quia difficile foret, has noſtras prę ſentes litteras, ad quælibet loca, vbi opus fuerit, deferre: Volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod tranſumptis earundem, manu Notarij publici, ſignatis, & alicuius prælati Eccleſiaſtici ſigillo munitis, ea prorſus fides in iudicio, & extra, adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi præſentes originales litteræ exhibitæ, vel oſtenſę forent: Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam noſtræ inſtitutionis, diffinitionis, ſubmiſſionis, conceſſionis, ordinationis, declarationis, vnionis, ſtatuti, ſubiectionis, incorporationis, aduocationis, impoſitionis, taſſationis, extinctionis, inhibitionis, ac mandati, derogationis, voluntatis, decreti, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, Apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, IIII. Kalen. Iunij, Pontificatus noſtri anno quinto.

Bembus.

Tho. de Biuis.

BVLLA SANCTISS. D. N. PAVLI *Papæ Quarti, contra Apoſtatas.*

Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei,
Ad futuram rei memoriam.

POSTQVAM diuina bonitas nos, licet immeritos, ad ſummi Apoſtolatus faſtigium, aſſumere dignata eſt; nunquam ceſſauimus, abuſus qui in Eccleſia Dei, ſeu nimia Sedis Apoſtolicæ indulgentia, ſeu hominum malitia, irrepſiſſe cernuntur; pro viribus tollere, & eccleſiam ipſam in priſtinum candorem reſtituere, diuerſas ad hoc ſaluberrimas

rimas conſtitutiones edendo, & inuiolabiliter obſeruari mandando. Verùm, cùm non omnia vno & eodem tempore excogitari, ne dum perfici potuerint, quinimmo, circa ea, ſit nobis ſingulis fermè diebus, aliquid enitendum, abuſui apoſtaſiæ, quę per regulares perſonas, ſub diuerſis falſis prætextibus, quotidie incurritur, vlteriùs parcendum non eſſe, cenſuimus. Nam licet diuerſi Rom. Pontifices prædeceſſores noſtri, per eorum conſtitutiones, complura contra Apoſtaſiam huiuſmodi, ediderint ſtatuta, & ordinationes, nondum tamen eſt plenum, contra eam, adinuentum remedium; quinimo diuerſi, diuerſorum etiam mendicantium ordinum religioſi, propriæ ſalutis immemores, Deique timore poſtpoſito, ſub prætextu, alij, videlicet, quòd religioni, & ordini in genere, ob varias confictas cauſas, aſtricti non ſint; & ſuperinde ſententiam declaratoriam obtinuerint: alij quòd beneficium Eccleſiaſticum curatum, aſſecuti ſint, alij quòd extra regularia ſui ordinis loca, ſtandi, & alicui beneficio eccleſiaſtico deſeruiendi, à ſuis ſuperioribus, licentiam habeant: & alij diuerſis alijs confictis coloribus: alij verò nullo ſuffulti prætextu, ſed temeritate propria, contra proprium iuramentum, per eos, in eorum profeſſione præſtitum, & regularia ſui ordinis inſtituta, extra clauſtra ſuorum regularium locorum, degunt; & in ſeculo, aliqui habitu ſui ordinis retento, aliqui illo abiecto, in habitu presbyterorum ſecularium, & complures in habitu laicali temerè vagantur; & poſtquā Deo, fidem frangere non ſunt veriti, cętera omnia quātumuis grauiſſima, & deteſtāda, leuia, & licita reputantes: alij parochianos eorum curæ commiſſos, falſam doctrinam docere, & prauis opinionibus, ac hæreſibus replere; alij vxores ducere: alij ſiue paupertate, eos cogente, ſiue diabolico inſtinctu, ſecularibus, & mecanicis negotijs, ſe dare: alij ſeditionibus popularibus, & coniurationibus, contra principes, & alios, ac quibuſuis alijs ſeuis actibus ſe implicare, & cætera omnia nequiſſima facere præſumunt, in grauiſſimam diuinæ Maieſtatis offenſam, & religionis opprobrium, ac animarum ſuarum perniciem, & aliorum Chriſtifidelium ſcandalum. Quamobrem conſiderantes, Apoſtatas huiuſmodi, infinitis erroribus, in eadem Dei eccleſia, cauſam præſtare: & propterea volentes contra Apoſtaſiam ipſam, pleniùs prouidere, & eam quantùm nobis ex alto conceditur, de medio tollere, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulos, qui poſt profeſſionem, per eos, in ætate legitima conſtitutos, in aliquo approbato, etiam militari ordine, purè, & liberè emiſſam; vel ſi ante ætatem legitimam, profeſſi fuerint, poſt illam, per eos in ipſa ætate legitima conſtitutos, purè, & liberè, ratam, & gratam, habitā, temeritate propria, aut quouis prętextu, vel cauſa, etiam ſi ſe religioni, & ordini, non aſtrictos eſſe declarari obtinuerint, aut beneficium eccleſiaſticum, etiam curatum, poſſideant; vel alicui beneficio eccleſiaſtico, etiam curato, alterius nomine, deſeruiant, extra clauſtra ſuorum regularium locorum, degunt, aut in poſterum degent, omnibus & ſingulis beneficijs eccleſiaſticis, cum cura, & ſine cura, ſecularibus, aut ſui, vel cuiuſuis alterius ordinis regularibus,

Apoſtatæ omni dignitate priuantur.

per

per eos, quomodolibet obtentis, cuiuſcunque qualitatis fuerint, ac fructibus, redditibus, & prouentibus eccleſiaſticis, eis quomodolibet reſeruatis, ſeu aſſignatis; necnon Baccalariatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magiſterij, ac quibuſuis alijs in iure Canonico, vel Ciuili, aut Theologia, ſeu Medicina, vel artibus, aut quauis alia facultate, gradibus; per eos, etiam antequam religionem ingrederentur, obtentis, ſeu aſſecutis, necnon quocunq; miniſterio eccleſiaſtico, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, penitus & omnino priuamus, ac ad illa, & alia quæcunque, & qualiacunque, in poſterùm obtinenda, ſeu fructus, redditus, & prouentus eccleſiaſticos percipiendos, aut gradus aſſequendos, perpetuò inhabilitamus: & ab executione quorumcunque eccleſiaſticorum, etiam ſacrorum, & præſertim presbyteratus, ordinum, necnon omni miniſterio eccleſiaſtico prædicto, perpetuò ſuſpendimus, priuatoſque, & inhabiles, ac ſuſpenſos eſſe, necnon beneficia ipſa, de iure, & de facto, vacare, & de eis ſolùm per Nos, & Sedem prædictam, diſponi poſſe; ac reſeruationes fructuum, redditunm, & prouentuum huiuſmodi, extingui, & expirare decernimus; ita vt de cætero, ipſi Apoſtatæ, quàmdiu vixerint, aliqua beneficia eccleſiaſtica obtinere, vel aliquod officium, ſeu miniſterium eccleſiaſticum exequi, aut fructus, redditus, & prouentus eccleſiaſticos, ſeu ſuper illis, penſiones annuas percipere, vel exigere, ſeu curam animarum exercere, aut Sacramenta eccleſiaſtica miniſtrare; ſeu miſſam celebrare, aut prætextu ordinum, in quibus conſtituti erunt, aliquid facere, vel exequi nequeant; & prouiſiones, ſeu commenda, ac reſeruationes fructuum, reddituum, & prouentuum eccleſiaſticorum, necnon aſſignationes penſionum annuarum, eis etiam dicta auctoritate, etiam cum præſentium toto earum tenore inſerto, plenaria derogatione, pro tempore factæ, nullæ ſint, & irritæ, ac viribus omnino careant, nec aliquod eis ius, aut titulum, beneficia poſſidendi, aut fructus, redditus, & prouentus, ſeu penſiones huiuſmodi exigendi, vel percipiendi tribuant, ipſiq; ſic priuati, inhabiles, & ſuſpenſi, fructus ſuos non faciant, ſed ad illorum reſtitutionem teneantur. Et nihilominus, ſi curam animarum exercere, vel eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, ſeu Miſſam celebrare; aut prætextu ordinum ſuorum prædictorum, aliquid facere, aut aliquod officium, ſeu miniſterium eccleſiaſticum, exequi præſumpſerint, tanquam ſuſpenſi ab executione ordinum ſuorum, & in illis contra ſuſpenſionem ipſam, & in contemptum Clauium miniſtrantes, condignis pœnis omnino puniantur. Et vt omnis vagandi occaſio, Apoſtatis huiuſmodi tollatur, volumus & ſancimus, quòd quæuis tàm eccleſiaſticæ, quàm ſeculares perſonæ, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, etiam ſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, aut alia maiori eccleſiaſtica dignitate, etiam Cardinalatus honore, ſeu mundana etiã, Marchionali, Ducali, aut alia maiori auctoritate, ſeu excellentia, præfulgeant, aliquem Apoſtatarum eorumdem receptare, ſeu nutrire, vel illis quominus ad eorum monaſterium, ſeu domum, vel alium locum regularem redeant, fauorem, aut auxilium, ſeu conſilium præſtare, non præſumãt.

Apoſtatarum ſuſpenſio.

Apoſtatarũ ſuſpenſorum, ordinis munera exequentiũ punitio.

Apoſtatarum fautores, quomodo excommunicandi.

Et ſi eos,

prædictorum,aut quoſuis alios quacunque auctoritate fungētes, aliqua compoſitio,ſeu concordia,aut remiſſio fieri poſſit, Sicque & non aliàs, aliter nec alio modo,in præmiſſis omnibus,& ſingulis, per quoſcunque Iudices,& commiſſarios, quauis etiam dicta Apoſtolica auctoritate fungentes,etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores,& S. R. E. Cardinales,in quauis cauſa,& inſtantia ſublata eis, & eorum cuilibet,quauis aliter,iudicandi,& interpretandi auctoritate,& facultate iudicari,& diffiniri debere,ac ſi ſecus,ſuper his,à quoquam,quauis auctoritate, ſcienter,vel ignoranter,contigerit attentari,irritum, & inane decernimus. Et quoniam experientia,rerum magiſtra,docente,cognouimus,priuilegia cunctis ferè ordinibus conceſſa, recipiendi profeſſos aliorum ordinum,in eorum monaſterijs,domibus,& regularibus locis,materiam præſtare Apoſtatis huiuſmodi,per ſeculum euagandi,præſertim cum diuerſi ordinum huiuſmodi ſuperiores & prælati, Apoſtatas huiuſmodi recipiant,& poſtquam illis eorum habitum regularem exhibuerint,eis ſtandi extra monaſterium, licentiam concedant. Nos abuſui huiuſmodi,occurrere volentes,omnia & ſingula priuilegia,& indulta apoſtolica,quibuſuis ordinibus,monaſterijs, & domibus, ſeu alijs regularibus locis (Cartuſien & eremitis Camaldulen.in eremo realiter degentibus,dum taxat exceptis) ſuper recipiendis canonicis regularibus, ſeu monachis, vel fratribus aliorum ordinum,per quoſcunque Rom.Pontifices prædeceſſores noſtros,ſub quibuſuis verborum formis,& tenoribus,etiam motu proprio,aut aliàs quomodolibet conceſſa,etiam Mare magnum nuncupata; quo ad facultatem recipiendi eoſdem canonicos regulares, ſeu monachos,& fratres,penitus & omnino reuocamus,caſſamus,irritamus & annullamus, & viribus penitus & omnino vacuamus. Mandantes vniuerſis,& ſingulis,venerabilibus fratribus noſtris,Patriarchis,Archiepiſcopis,& Epiſcopis,aliiſque diœceſanis,& locorum ordinarijs,vt ipſi per ſe,vel alium,ſeu alios,præſentes litteras & in eis contenta quæcunque,vbi,& quando, ac quotiens opus fuerit,ſolenniter publicantes, faciant,dicta auctoritate noſtra,eaſdem præſentes litteras plenariæ,& totali executione demandari eos qui illis contrauenerint, iuxta ipſarum litterarum continentiam,& tenorem,condignis pœnis plectendo, & puniendo,ac contradictores quoslibet,& rebelles,eiſque in præmiſſis non parentes,per ſententias, cenſuras,& pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris remedia,appellatione poſtpoſita, compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus,ſententias,cenſuras,et pęnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggrauando,inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus,& ordinationibus apoſtolicis,ac certis alijs noſtris litteris, quas,quo ad ea,quæ præſentibus aduerſantur,aut contrariantur, penitus & omnino reuocamus,caſſamus,& irritamus; necnon monaſteriorum,& aliorum regularium locorum,ac ordinum quorumcunque, etiā iuramento,confirmatione apoſtolica,vel quauis firmitate alia, roboratis,ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque,indultis, & litteris apoſtolicis,etiam Mari magno,ſeu bulla aurea,aut aliàs quomodolibet nuncu-

Apoſtata alterius ordinis à quibus recipi poſſit.

nuncupatis,ſeu per officium ſacræ Pænitentiariæ expeditis,eiſdem Apoſtatis,ſeu translatis,ac noſtro Sancti Spiritus,in Saxia, de Vrbe, ordinis Sancti Auguſtini,& quibuſuis alijs hoſpitalibus, necnon Beatæ Mariæ redemptionis captiuorum,& de mercede,ac quibuſuis,etiam derogatoriarum derogatorijs,alijſque efficacioribus & inſolitis clauſulis,necnō irritantibus,& alijs decretis,etiam motu, ſcientia,& poteſtatis plenitudine ſimilibus,aut aliàs,quomodolibet conceſſis,ac etiam iteratis vicibus approbatis,& innouatis. Quibus omnibus,etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione,de illis eorumque totis tenoribus,ſpecialis, ſpecifica,expreſſa,& indiuidua,ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales,idem importantes, mentio,ſeu quæuis alia expreſſio habenda,aut aliqua exquiſita forma ſeruanda eſſet,tenores huiuſmodi,ac ſi de verbo ad verbum,nihil penitus omiſſo,& forma in illis tradita obſeruata inſerti forent,præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes,illis aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrarijs quibuſcunque,aut ſi aliquibus communiter,vel diuiſim,ab eadem ſit Sede indultum,quòd interdici,ſuſpendi,vel excommunicari non poſſit,per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam,& expreſſam,ac de verbo,ad verbum,de indulto huiuſmodi, mentionem. Nos enim,ex nunc,irritum decernimus,& inane,ſi ſecus,ſuper his à quoquam,quauis auctoritate,ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Vt autem præſentes litteræ, ad omnium, quorum intereſt, noticiam deducantur,nec aliquis earum ignorantia,prætendere,aut cōtra eas ſe excuſare valeat,dicta auctoritate apoſtolica, ſtatuimus,atque decernimus,ut ipſæmet litteræ,vel earum tranſumptum (cui manu notarij publici ſubſcripto,& ſigillo alicuius perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, munito,eam prorſus fidem,in iudicio,& extra,adhiberi debere,volumus,quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi facto, & realiter,exhiberentur) in baſilica principis Apoſtolorum, & eccleſia ſancti Ioannis Lateranen. ac Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, & acie campi Floræ,per aliquos,ex Curſoribus noſtris,publicentur, earum exemplo, in ſingulis valuis,& acie prædictis,affixo,& dimiſſo. Nulli ergo omnino hominum liceat,hanc paginam noſtræ priuationis, inhabilitationis,ſuſpenſionis,ſanctionis,declarationis,reuocationis, caſſationis,irritationis,annullationis,mandati,derrogationis,ſtatuti, decretorum,& voluntatum infringere,vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri,& Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ,apud ſanctum Petrum,Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octauo,Vndecimo Kalendas Septembris.Pontificatus noſtri anno quinto:

Fed.Cardinalis Ceſius.

Io.Barengus.

Barengus.

Anno

Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, Indictione ſecunda, Die verò Iouis, prima menſis Iunij. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri Domini Pauli diuina prouidentia Papæ Quarti. Anno eius quinto. Retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apoſtolorum de Vrbe, & ſucceſſiuè Sancti Ioannis Lateranenſis, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie campi Floræ, dimiſſis in iiſdem locis illarum copijs affixis per nos Bartholomeum Sottocaſa, & Honofrium Montagull. prælibati Sanctiſſimi Domini Papæ Curſores.

Franciſcus Rugerius Magiſter Curſorum.

BVLLA
S. D. N. D. PII PAPAE V.

Super clauſura, & reformatione quarumcunque Monialium.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

CIRCA Paſtoralis officij nobis, meritis licet imparibus, deſuper commiſſi curam, quantùm nobis ex alto permittitur, inuigilantes aſſiduè ad ea, per quæ, ſingulis erroribus, & exceſſibus obuiatur, ac perſonis quibuslibet, præſertim fœminei ſexus, virginitatem ſuam Altiſſimo vouentibus, ſub Religionis iugo, Chriſto Saluatori, in caſtitatis holocauſto famulari affectantibus, à ſemita Iuſtitiæ, & honeſtatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruum, quod in Regularis ponat honeſtatis gloria maculam, & diuinam meritò poſſit offendere Maieſtatem, opportunè ſuccurritur, libenter intendimus; ac in his, noſtræ vigilantiæ partes propenſiùs impartimur, prout id in Domino ſalubriter expedire conſpicimus. Hac igitur perpetuò valitura Conſtitutione, inhærentes etiam Conſtitutioni fe. rec. Bonifacij Papæ octaui, prædeceſſoris noſtri, quæ incipit Periculoſo, & decretis Concilij Tridentini ſuper clauſura Monialium editas, auctoritate Apoſtolica,

Clauſura perpetuò ſeruāda.

tenore præſentium ſtatuimus,atque perpetuò decernimus, vniuerſas & ſingulas Moniales præſentes,atque futuras, cuiuſcunque Religionis, ordinis,vel Militiarum etiam Hieroſolymitanarum ſint, quæ, vel iam receptæ ſint, vel inpoſterum in quibuſuis Monaſterijs, ſiue domibus recipientur,& tacitè,vel expreſſè Religionem profeſſæ, etiam ſi Conuerſæ, aut quocunque alio nomine appellentur, etiam ſi ex inſtitutis, vel fundationibus earum Regulæ ad elauſuram non teneantur, nec vnquam in earum Monaſterijs,ſeu domibus etiam ab immemorabili tempore,ea ſeruata non fuerit,ſub perpetua in ſuis Monaſterijs, ſeu domibus,debere de cætero permanere clauſura,iuxta formam dictæ Conſtitutionis fel.re.Bonifacij Papæ octaui, prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Periculoſo.in ſacro Concilio Tridentino approbatam, & innouatam,quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus,& per omnia,ac illā diſtrictè obſeruari mandamus, Quod

Clauſuram ſeruare nolentes cogantur.

ſi aliquæ Moniales forſan reperiantur, quæ conſuetudine etiam immemorabili,aut inſtituto,vel fundatione regulæ ſuæ fretæ, animo obſtinato,huic clauſuræ reſiſtant,aut quoquomodo reluctentur,ordinarij,vnà cum Superioribus earum,omnibus iuris,& facti remedijs, compellant eaſdem,tanquam rebelles,& incorrigibiles, ad præcisè ſubeundum dictam clauſuram, & perpetuò obſeruandum. Mulieres quoque, quæ Tertiariæ ſeu de pœnitentia dicuntur, cuiuſcunque fuerint ordinis in

Tertiariæ quo modo clauſuram ſeruare tenentur.

Congregatione viuentes,ſi & ipſæ profeſſæ fuerint,ita vt ſolenne votum emiſerint,ad clauſuram præcisè,vt præmittitur, & ipſæ teneantur: quòd ſi votum ſolenne nòn emiſerint,ordinarij,vnà cum Superioribus earum,hortentur,& perſuadere ſtudeant,vt illud emittant & profiteantur;ac poſt emiſſionem, & profeſſionem, eidem clauſuræ ſe ſubijciant: quod ſi recuſauerint,et aliquę ex eis inuentę fuerint ſcandaloſè viuere, ſeueriſſimè puniantur. Cæteris autem omnibus, ſic abſque emiſſione profeſſionis, & clauſura, uiuere omnino uolentibus, interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum, vllam aliam prorſus in ſuum ordinem, Religionem, Congregationemuè, recipiant. Quòd ſi contra huiuſmodi hanc noſtram prohibitionem,& decretum, aliquas receperint,eas ad ſic viuendum,omnino inhabiles reddimus,ac illarum quaslibet profeſſiones,& receptiones,irritas décernimus,& nullas; prout etiam præſenti decreto,irritas facimus,& annullamus.Porrò,ne Moniales,vel Tertiariæ prædictæ,propter hanc clauſuram detrimentum, aut incommodum aliquod,in earum neceſſitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum,patiantur,ſed vt eis opportunè conſulatur,auctoritate Apoſtolica præfata, ſtatuimus, decernimus, præcipimus atque mandamus ordinariis, & Superioribus earum,vt curent colligi fideliū eleemoſinas,per Conuerſas,quæ non ſint profeſſæ, vel ſi profeſſæ fue-

Conuerſæ pro eleemoſinis egreſſæ, extra clauſuram moreentur.

rint,ſint tamen ætatis Annorum Quadraginta,& in domibus contiguis extra tamen Monaſterium,degant,& non ingrediantur clauſuram aliarum Monialium, niſi in caſibus ex earum conſtitutionibus permiſſis, & de earum domibus, exire non poſſint, pro huiuſmodi eleemoſynis colligendis,niſi de licentia ordinarii,vel earum Superiorum.Et de cætero

tero, nullæ aliæ Conuerſæ profeſſæ recipi ampliùs etiam de conſenſu ſuorum Superiorum,vel prælatorum poſſint:quòd ſi aduerſus hanc noſtram prohibitionem receptæ fuerint,illarum receptio nulla, irrita,& innanis ſit,prout ex nunc nullã,irritam facimus,& annullamus. Quòd ſi prædicto modo,neceſſitatibus Monialium, & Mulierum Tertiiarũ prædictarum,ſuccurri ſufficienter non poterit,mandamus ipſis ordinariis, & Superioribus earum,vt ipſi prouideant de aliis perſonis piis, & Deo deuotis,quæ fidelium eleemoſynas colligant, vel aliàs,eo meliori & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipſarum Monialium,& Mulierum prædictarum, arbitrio ordinariorum, & Superiorum earundem, & prout eis congruentiùs expedire videbitur, prouideatur, & ſuccurratur. Et ne propter Monialium numerum exceſſiuum,clauſuræ obſeruatio violetur, inhærentes etiam ſimiliter diſpoſitioni dictæ Conſtitutionis Bonifacii,& Concilii Tridentini,decreto,Monialibus prædictis,& illarum ſuperioribus,& ordinariis diſtrictè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monaſteriis recipiant,& admittant,ſiue recipi,& admitti permittant, quàm ex proprijs redditibus ipſorum Monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſint. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ,ſub obteſtatione diuini iudicij,& interminatione maledictionis æternæ, vniuerſis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis,& Epiſcopis,quatenus in Ciuitatibus, & Diœceſibus propriis, præſentes noſtras litteras publicari faciant, ac in Monaſteriis Monialium ſibi ordinario iure ſubiectis, in his verò quę ad Romanam,mediatè,vel immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicę auctoritate, vnà cum ſuperioribus eorundem Monaſteriorum clauſuram, vt præmittitur, quamprimum poterint ſeruari,procurent. Contradictores, atque rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita,compeſcendo,inuocato adhoc,ſi opus fuerit,auxilio brachij ſecularis. Ac vt hoc tam ſalutare decretum faciliùs obſeruetur, omnes principes ſeculares,& alios Dominos,& Magiſtratus temporales rogamus,requirimus,& obſecramus, per viſcera miſericordiæ Domini Noſtri Ieſu Chriſti,eiſdem in remiſſionem peccatorum iniungentes, quòd in præmiſſis omnibus,eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis,& aliis Monialium ſuperioribus aſſiſtant, ac ſuum fauorē, & auxilium præſtent. Ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant,præmiſſis conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis,& conſuetudinibus,etiam immemorabilibus,etiam per Sedem Apoſtolicam approbatis,& confirmatis,priuilegiis quoque,indultis, & litteris Apoſtolicis,etiam in fundatione,& inſtitutione eiſdem Monaſteriis,vel domibus,& Monialibus ſub quibuſcunque verborum formis, & clauſulis irritantibus,& aliis decretis quibuslibet conceſſis, confirmatis,ac etiam iteratis vicibus, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus,etiam ſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus,ſpecialis,ſpecifica,expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes,mentio, ſeu quæuis alia expreſ-

Monialis pro conuerſa ampliùs non recipiatur.

Numerus pro redditu um ratione ſtatuatur.

Prælati circa clauſuram inuigilent.

ſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, quo ad effectum validitatis noſtræ conſtitutionis tantum derogamus, contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, aut ſuſpēdi non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam: & expreſſam; ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionē: per hoc autem in Monaſteriis exemptis ordinarii locorum, quoad alia, nullam ſibi credant iuriſdictionem vel poteſtatem aliquatenus eis attributam. Volumus autem quòd præſentes litteræ, ad valuas Baſilicæ beati Petri Apoſtolorum principis, & in Cancellaria noſtra, ac acie Campi Floræ publicentur, & inter Conſtitutiones extrauagantes perpetuò valituras conſcribantur. Et quia difficile foret, præſentes ad ſingula quę cunque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd earum Tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis; eadem prorſus fides vbicunque adhibeatur; quę præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam noſtræ approbationis, innouationis, ſtatuti, decreti, mandati, interdicti, prohibitionis, annullationis, præcepti, inhibitionis, requiſitionis, obſecrationis, iniunctionis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Quarto Kalendas Iunij. Pontificatus noſtri anno primo.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Viſa de Curia Io. Riuetius ſubſcripſit.

Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione nona, Die verò nono menſis Iunii, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini PII Diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno primo, Retroſcriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt, ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorū S. Petri de Vrbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis Copiis earundem in retroſcriptis litteris affixis per nos Ioannē Guerardi, & Nicolaum de Matthæis Curſores.

Antonius Clerici Magiſter Curſorum,

Exem-

EXEMPTIONES AB EXACtionibus, Datijs, Gabellis, pedagijs, vectigalibus, &c. vtriuſque ſexus Religioſis perſonis Ordinum Mendicantium conceſſæ per Sanctiſſimum in Chriſto, Patrem & Dominum Noſtrum, Dominum PIVM Diuina prouidentia Papam Quintum.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

DVm ad uberes, quos ſacri Mendicantium ordines, in agro Dominico quotidie faciunt fructus, attentè reſpicimus; & attentè conſiderationis indagine perſcrutamur, ipſorum religionis ſinceritatem, & voluntariæ paupertatis habitum, in quibus ſub humilitatis ſpiritu, deuotum Altiſſimo præſtant famulatum, dignum, quin potius, debitum reputamus, vt illis, ea libenter concedamus, per quæ, ſemotis quibuslibet grauaminibus, promptiores eiuſdem altiſſimi, inhæreant ſeruitijs. Hinc eſt, quòd nos volentes, eoſdem mẽdicantium ordines, & dilectos filios, eorum fratres, & monachos, cæteraſque perſonas, ac etiam moniales quaslibet eiuſdem ordinis, ſub illorum cura degentes, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi. Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiã, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quòd ex nunc deinceps, perpetuis futuris temporibus, Omnes & ſinguli mendicantium ordinum huiuſmodi, fratres, Monachi, & Dilectæ filiæ in Chriſto Moniales, ſeu ſorores, ac aliæ vtriuſque ſexus perſonæ regulares, vbilibet per totum Chriſtianum orbem diffuſi, & conſtituti, illorumque monaſteria, Cœnobia, Domus, Conuentus, Eccleſiæ, Capellæ, Oratoria, & alia loca etiam vnita, ac membra, & dependentia, necnon terræ cultæ, & incultæ, poſſeſſiones, prædia, agri, & alia omnia, & ſingula, mobilia, & immobilia, ac ſe mouentia, & vbilibet, ac in quibuſcunque rebus conſiſtentia bona, necnon eorum in dictis bonis laboratores, Coloni, Arrendatarij Locatarij, & Affictuarij, negotiorumque ſuorum geſtores vniuerſi, quomodolibet nuncupati, nunc & pro tempore exiſtentes

Mẽdicantium ac Regulariũ, perſonarum & eorum bonorum exemptio

Pro Regularibus agentes à datijs eximuntur.

tentes in perpetuum,ab omnibus, & ſingulis exactionibus tam vrbanis quàm ruſticis, necnon datijs,gabellis, pedagijs, vectigalibus, collectis, impoſitionibus,& oneribus ordinariis,& extraordinariis,ac tam realibus,quàm perſonalibus,meris,& mixtis,etiã ſubſidio triennali, & augmento, ac focularibus, equorum taxis. Militumque hoſpitiis,ac aliàs quibuſcunque nominibus nuncupatis,quauis auctoritate, quomodolibet impoſitis,& imponendis,& quæ laicis,ac aliis quibuſuis quomodolibet imponi conſueuerunt,& in futurum imponentur; ac ratione quarumcunque mercium,& rerum cuiuſcunque generis, vel qualitatis exiſten.tam per mare,& aquam dulcem,quàm per terram vndecunque, & quomodocunque,pro tempore delatarum;necnon animalium quorum cunque,mortuorum,& viuorum,& quæ aliàs quomodolibet,& ex quauis cauſa;ac ſuper quibuſcunque rebus,tam in alma vrbe noſtra, quàm extra eam,vbilibet locorum exiguntur,& in futurum exigentur; necnõ à contributionibus,& ſolutionibus in illis faciendis, ac tam pro victu, & veſtitu,quàm quocunque alio vſu ſuo tantum; ac tam emendo quàm vendendo,& aliàs quomodolibet negociando; necnon etiam à ſolutione quadrantis,pro ſingulis libris carnium,de animalibus, quæ nunc & pro tempore ex Armentis occidi contigerit;necnon etiam, quæ in ſuis ædibus,prædijs,& poſſeſſionibus, priuatim detinent, & nutriunt; ac à contributione ſumptuum,& expenſarum, quæ aliquando pro pontibus, vijs, Aquæductibus,muris,Mœnibus,aliiſue machinis ſtruendis,& reparandis,ſeu reficiendis,ac Ciuitatum, Terrarum, & locorum, quorumcunq; fortificationibus,necnon etiam,aliàs in omnibus,& per omnia, ac tam in dicta vrbe,quàm extra eam vbilibet penitus,& omnino,liberi,immunes,& exempti,ac liberæ,& exemptæ,liberaque, immunia, & exempta ſint,& eſſe cenſeantur,ac pro talibus teneantur,& reputẽtur. Quòd que terræ,agri,poſſeſſiones,& loca aratiua,vt præfertur,in illis,quæ aliquando pro paſcuis animalium,ad certum tempus reſeruantur,nullatenus vnquam comprehendantur,nec comprehendi cenſeantur; ac etiam Monaſteria,Cœnobia,aliaque omnia regularia loca prædicta, pro quorumcunque Militum,tam equitum,quàm peditum, hoſpitiis; quemadmodum,magno cum noſtro dolore,hucuſque,in pleriſque locis,factum comperimus,nequaquam aſſignentur,nec aſſignari debeant. Et inſuper quòd fructus,redditus,prouentus,introitus,& alia quæcunque bona Monaſteriorum,Cœnobiorum, & aliorum locorum regularium præfatorum,ab aliis, quàm à Syndicis, & procuratoribus religioſis, fratribus, monachis,& monialibus,aliiſque perſonis præfatis,exigi, illaque duntaxat in beneficium loci,vel ſuſtentationem ipſorum religioſorum fratrum,& Monialium expendi,nec per alios quoſcunque,quouis nomine cenſeantur;nec in alium,quàm præmiſſum vſum, conuerti, ſeu expendi poſſint,neque debeant;niſi de conſenſu ſuperiorum illius loci,cui data, vel conſignata,aut donata fuerint,ſeu ad quem,aliàs ſpectabunt, nec etiam ſoli tutores,aut curatores,ſeu protectores,& alio nomine Sanctiſ,aut aliàs nuncupati, de eiſdem bonis, vllo modo diſponere poſſint, quòdque idipſum etiam de eleemoſinis,oblationibus, & quibuſcunque

Regulariũ vſui neceſſaria à vectigalibus ſunt libera.

Regulares ad fortificationes ſeu ad alias expenſas communes non tenentur.

Regulariũ loca milites non hoſpitentur.

Regulariũ redditus non adminiſtrẽtur niſi à perſonis ab ipſis conſtitutis.

aliis

aliis donatiui, intelligi,& obſeruari debeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuò, ſtatuimus, ordinamus, volumus,& declaramus; necnon fratres, Monachos, Moniales, ac alias regulares perſonas eorumque Monaſteria, Cœnobia, Conuentus, Eccleſias, Capellas, Oratoria,& alia loca, ac terras, poſſeſsiones, prædia, agros,& bona; necnon laboratores, colonos, arrendatarios, locatarios, affictuarios, ac geſtores, prædicta vt præfertur libera, immunia,& exempta, eiſdem, auctoritate & tenore facimus, ac fore,& eſſe decernimus, Mandantes propterea dilectis filiis modernis,& pro tempore exiſtentibus Cameræ Apoſtolicæ Camerario, Præſidentibus,& clericis, ac Commiſſariis, agentibus,& officialibus quibuſcunque, vt omnibus,& ſingulis; tam virorum, quàm Mulierum, Monaſteriis mendicantium ordinum huiuſmodi, exiſtentibus ſub ditione noſtra temporali, mediatè, vel immediatè conſtitutis, tantum ſal, quantum pro eorum vſu ſuffecerit, ſingulis annis, omni dilatione ceſſante,& contradictione remota, contribuere,& aſſignare, ac contribui,& aſſignari facere, debeant, realiter,& cum effectu; diſtrictiùs etiam in virtute ſanctæ obedientiæ,& ſub indignationis noſtræ, ac excommunicationis maioris latæ ſententiæ, ac duorum millium ducatorum auri de Camera, pro vna, Baſilicę ſancti Petri de vrbe,& pro altera medietatibus, ſingulis monaſteriis,& locis præfatis, quæ moleſtari, ſeu perturbari contigerit, irremiſſibiliter applicandorum, pœnis eo ipſo, ſi & quoties contrafactum fuerit incurrendis; Mandantes tam illis, quàm dilectis filiis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, poteſtatibus, datiorum, gabellarum, onerum,& aliorum præmiſſorum exactoribus, conductoribus,& appaltatoribus, necnon quibuſuis communitatibus,& vniuerſitatibus, illarumque officialibus,& perſonis, aliiſque quibuſcunque, ad quos ſpectat,& quomodolibet ſpectabit in futurum, quatenus præmiſſa omnia,& ſingula, inuiolabiliter,& perpetuò obſeruent, ac ab omnibus obſeruari faciant, neque fratres monachos, moniales,& alias religioſas perſonas, alioſque ſupradictos, ſuper præmiſsis, quomodolibet moleſtent,& perturbent, neque permittant, per quoſcunq; quomodolibet moleſtari, ſeu perturbari: Et ſi quis contradicere, aut quouiſmodo contrauenire, præſumpſerit, per mandatum executiuum, contra ipſum, cuiuſcuuque dignitatis ſtatus, ordinis, vel preæminentiæ fuerit, ipſo facto procedi. Et ſic per quoſcunque iudices,& commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis,& eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi,& interpretandi facultate iudicari,& diffiniri debere, ac quicquid ſecus, ſuper his, à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, attentari contingerit, irritum & innane, decernimus. Quo circa, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis,& Epiſcopis, ſiue eorum vicarijs, in ſpiritualibus generalibus, necnon dilectis filiis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, generali Auditori, ac abbatibus, prioribus, præpoſitis, decanis, archidiaconis, canonicis,& capitulis, ac aliis quarumcunque eccleſiarum prælatis,& perſonis vbilibet,& in quibuſcũq; regionibus, terris,& locis, exiſtẽtibus, ac aliis ad quos quomodo libet ſpectat,& ſpectabit, per præſentes, Motu ſimili mandamus, quatenus

Sal uſui Regularium neceſſarium eſt aſſignandum.

Pœna nolentium ſal neceſſarium aſſignare.

Adhortatio officialium ſecularium ad ſupradictorũ executionem.

Prælatorũ Eccleſiaſticorum ad prefatorum executionẽ adhortatio.

nus ipſi,& eorum quilibet,per ſe vel alium,ſeu alios,præſentes litteras & in eis contenta quæcunque,vbi & quando opus fuerit,ac quoties,pro parte fratrum,monachorum monialium aliarumque religioſarum perſonarum præfatarum fuerint requiſiti,ſolenniter publicantes, illiſque in præmiſſis,efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes,faciant auctoritate noſtra illos,& eorum ſingulos,ſtatuto,ordinatione,voluntate,declaratione,conſtitutione,deputatione,mandato,inhibitione,decreto,aliisque præmiſsis pacificè frui, & gaudere, non permittentes, eos deſuper per Camerarium, præſidentes,clericos, & commiſſarios Cameræ huiuſmodi,necnon legatos,vicelegatos,gubernatores,collectores, gabellarios,& exactores prædictos;aut quoſcunque alios ad aliquam ſolutionem,contributionem,vel præſtationem præmiſſorum, occaſione quomodolibet facienda,quouiſmodo cogi,& compelli,aut aliàs contra prę ſentium tenorem,quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet,& rebelles,per prædictas,aliaſque opportunas cenſuras,& pœnas,appellatione poſtpoſita,compeſcendo,ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſsibus,cenſuras,& pœnas huiuſmo di incurriſſe declarando,interdictum eccleſiaſticum apponendo,inuocato etiam ad hoc,ſi opus ſit auxilio brachii ſecularis. Nõ obſtante fel. rec.Bonifacij Papæ octaui,prædeceſſoris noſtri de vna, & concilij generalis de duabus dietis,dummodo vltra tres dietas,aliquis auctoritate præſentium non extrahatur,ac omnibus illis,quæ in contrarium, per quoſcunque officiales,& quoſuis alios,ac præſertim per officiales ciuitatis noſtræ Bononien.& quoſuis alios,adducta ſunt hactenus,& deducentur in poſterum,ac adduci,& allegari poſſent, necnon quibuſcunq; litibus & cauſis,tam in Romana curia,quàm extra eam,vbilibet,ac corã quibuſcunque iudicibus,etiam palatii noſtri cauſarum Auditoribus, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſuper præmiſsis,inter quoſcun que quomodolibet pendentibus,ac etiam inſtructis,& ad ſententiam de ductis,vel etiam à ſententia terminatis,niſi in fauorem eccleſiæ fuerint Et præſertim quadam lite,inter huiuſmodi regulares,ac ciues,& communitatem dictæ ciuitatis Bonon. in Romana Curia pendente;quas & quam,ac omnes proceſſus,& ſcripturas productas;& producendas;ac Re giſtra,& ſententias vbiuis comparentes,& latas,ac ferendas,ad nos auo camus,& penitus extinguimus,caſſamus annullamus,& delemus, perpe tuumque deſuper ſilentium imponimus,Necnon quibuſuis Apoſtolicis ac in prouincialibus,& Synodalibus conciliis editis,generalibus vel ſpe cialibus conſtitutionibus,& ordinationibus,etiam cõtra exemptos,quo modolibet editis,& edendis, ac etiam iuramento,confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegiis quoque,indultis, & litteris Apoſtolicis,illis,& eorum ſingu lis,ſub quibuſcunque tenoribus,& formis,ac cum quibuſuis etiam dero gatoriarum derogatoriis,aliiſque efficacioribus,efficaciſsimis, ac inſolitis clauſulis;irritantibusque,& aliis decretis,in genere,& ſpecie, etiã Motu ſimili,& certa ſcientia, etiam conſiſtorialiter & aliàs quomodolibet,etiam iteratis vicibus,in contrarium conceſsis,approbatis, & inno uatis.

SANCTISSIMI D. N. D. PII Papæ V. conſtitutio. De extinctione officiorum Miniſtri, Vicarij, & Viſitatoris generalis, in ordine Fratrum Tertij ordinis Sancti Franciſci, Et de ſubmiſſione huius ordinis Miniſtro generali, et Prouincialibus Fratrum Minorũ de obſeruãtia. Cum reformatione dicti tertij ordinis, & eius Domorum vtriuſque ſexus.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

EA eſt officij noſtri ratio, vt cùm de cæteris Eccleſiæ nobis commiſſæ ordinibus, vel in ſua integritate continendis, vel ad inſtitutum reuocandis, curam perpetuam capiamus, maiore tamen ſolicitudine, eadem illa in Religioſorum ſodalitatibus requirimus, quos, ideo Altiſſimus, in ſuum ſibi ſanctuarium ſegregauit, vt cæteros fideles, viam doceant, qua, & ipſi æternæ ſalutis beatitudinem conſequantur. Itaque inter cæteras Religiones, fratrum quoque Tertij ordinis ſancti Franciſci, de pænitentia nuncupati, in congregatione viuentium, ac tribus votis ſubſtantialibus aſtrictorum ſtatus, nos commouet, vt ad illum reformandum, ſtudia noſtra conferamus, quando vel ex tam multis, quæ bonæ memoriæ Rodulphus Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis Carpenſis nuncupatus, dicti ordinis protector, Sedis Apoſtolicæ auctoritate fretus, in reparanda horum diſciplina præclarè, & ſalubriter édidit, religionem hanc, parum admodum profeciſſe agnouimus. Proinde, nos hac præcipua morbi cauſa ex propriorum præſidentium, & aliorum miniſtrorũ negligentia, vel inſcitia comperta, in communem dicti ordinis ſalutem alia ratione intenti. De nobis attributæ poteſtatis plenitudine, officia Miniſtratus, & Viſitatoris generalis dicti ordinis, perpetuò extingui mus, & abolemus, ac miniſtrum, viſitatorem, & vicarium generalem eiuſdem ordinis officio, vſu, & exercitio omnimode interdicimus, edictoque prohibemus, ne vllus poſthac miniſter, vicarius, ac viſitator generalis, de dicto ordine habeatur. Cæterùm vt deinceps ordo ipſe, vtiliorum Rectorum conſilio, & opera dirigatur, nos diuerſorum etiam prædeceſſorum noſtrorum ordinationes ſequentes, vniuerſos, & ſingulos fratres, ſorores, profeſſos, & conuerſos, necnon domos, monaſteria, &

Abolentur tertiariorum Miniſtri ac Vicarii generales.

loca virorum, & mulierum, ac cuſtodias, & prouincias per vniuerſum orbem conſtitutas, gregemque ipſum vniuerſum Tertij ordinis, vtriuſque ſexus, Generali, & prouincialibus miniſtris ordinis fratrum minorum de obſeruantia nuncupatorum, prout in eorum prouincijs conſiſtunt, ita perpetuò ſupponimus, vt miniſter generalis in vniuerſo ordine, Prouinciales verò ordinis minorum de obſeruantia in ſuis quiſque prouinciis plenum ius, liberamque auctoritatem, ac in ſpiritualibus, & temporalibus iuriſdictionem omnimodam habeant, domos omnes, ac monaſteria, & loca quæcunque, necnon perſonas vtriuſque ſexus; tam in capite, quàm in membris viſitandi, & corrigendi, vagantes, & quoſcunque alios puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi, ordinibus, officijs, & adminiſtrationibus deponendi, excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi, & reſtituendi, ac etiam ſuper ijs & cæteris omnibus, ordinem ipſum, illiuſque domos, & perſonas vtriuſque ſexus quomodolibet concernentibus, eorum tamen regulæ prædictæ, & ſacris canonibus, ac præſentibus litteris non contrarijs, ſtatuendi, mutandi, innouandi, & exequendi, quemadmodùm illis eſt in ſuo proprio ordine attributum. Præcipimus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ vniuerſis, & ſingulis fratribus, & ſororibus Tertij ordinis prædicti vbilibet conſtitutis, vt generalem, & prouinciales miniſtros ordinis fratrum minorum de obſeruantia, tanquam patres, & ſuperiores ſuos, eorumque monita, & mandata, humiliter, & deuotè recipiant, & re ipſa adimplere procurent, alioquin contradictores quoslibet, & rebelles, ſententiæ, cenſuræ, & pœnæ, quos quiſque ipſorum, ritè tulerit in eoſdem, ipſo facto volumus ſubiacere. Pari quoque ratione eis Cardinalem protectorem fratrum de obſeruantia in protectorem tribuimus, qui eam, in eoſdem omnes, curam & auctoritatem obtineat, quam alius quiſque, pleniſſimè hucuſque cõperitur habuiſſe. Statuentes præterea, quòd futuris omnibus capitulis prouincialibus fratrum Tertij ordinis huiuſmodi, pro viſitatorum prouincialium, & aliorum officiorum electione, fratrum diuiſione, & ſalubri cuiuſque prouinciæ directione, annis ſingulis celebrandis, aut generalis, aut eius commiſſarius, aut in cuius prouincia, capitulum illorum habebitur, prouincialis miniſter ordinis minorum de obſeruantia huiuſmodi, ſemper præſideat, aliter verò celebrata, ac omnia in eis decreta, pro irritis habeantur. In ipſis autem capitulis prouincialibus, viſitatorum prouincialium electio, de idoneis fratribus Tertij ordinis huiuſmodi, per ſecreta ſuffragia, & alias, eo modo, quo de fratrum minorum de obſeruantia prouincialibus celebretur, celebrata per miniſtrũ generalem prædictum, ante omnia, confirmetur. Hæc verò officia Annalia duntaxat eſſe, & in ſingulis capitulis prouincialibus prædictis, reſignari debeant, ita vt lapſo primo anno, illa vacare cenſeantur. Poterũt tamen, ipſimet viſitatores prouinciales, rurſus in ſequentem annum, & eo finito, etiam in tertium, ſi idonei reperientur, eodem modo eligi, & confirmari: ſed omnes ſuis huiuſmodi officiis, quandocunque perfuncti, denuo ad illa, niſi tranſacto ſexennio, nequeant reuocari. Cæterũ, omnes & ſinguli fratres, & ſorores tertij ordinis huiuſmodi, in ſua quiſque

Supponuntur tertiarij generali, necnõ prouincialibus minorum fratrũ de obſeruantia

Quis eorũ ſit protector.

Nõ poſſunt capitulum celebrare niſi præſidente miniſtro aut generali, ſeu commiſſario ab ipſo deputato.

Quandiù durent tertiariorum officia.

que

que prouincia, viſitatori ſuo tanquam ſuperiori in omnibus, quæ ſuis regularibus inſtitutis, non aduerſantur, obediant. Omnes verò viſitatores prouinciales huiuſmodi, ſic electi, tanquam vices gerentes miniſtrorum prouincialium ordinis fratrum minorum de obſeruantia, & illis ſubditi, prædicandi, & docendi munus, in ſingulis vtriuſque ſexus domibus, conuentibus, & locis ſuæ cuiuſque prouinciæ obire, eamque in ſibi ſubditos fratres, & ſorores, iuriſdictionem, quam ipſimet miniſtri prouinciales ordinis minorum de obſeruantia obtinent, in omnibus, & per omnia exercere, ac quandocunque opus erit confeſſionibus omnium, & ſingulorum fratrum, & ſororum Tertii ordinis huiuſmodi, per ſe, vel alios ſuæ regulæ ſacerdotes idoneos audire, illoſque ab omnibus & ſingulis ſententiis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, necnon peccatis, criminibus, & delictis, dummodo talia non ſint, propter quæ Sedes Apoſtolica meritò conſulenda foret, in foro conſcientiæ duntaxat abſoluere, & pro commiſſis pænitentiam ſalutarem iniungere; ac cum clericis, & Presbiteris eius ordinis, ſuper irregularitate; ſiqui ſententiis, & cenſuris huiuſmodi illaqueati, miſſas, & alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium, celebrauerint, vel aliàs ſeſe illis immiſcendo contraxerint, diſpenſare liberè, & licitè valeant. Ad hæc nullus omnino fratrum, & ſororum tertii ordinis huiuſmodi, qui prædicta tria vota ſubſtantialia fecerint, etiam prætextu quorumcunque priuilegiorum, diſpenſationum, indultorum, permiſſionum apoſtolicorum, aut etiam inueteratæ conſuetudinis votò repugnantis, ſeu quacunque alia cauſa proprium quicquã, aut priuatum, liceat obtinere: ſed omnia etiam priuatim, ac intuitu cuiuſcunque perſonæ donata, oblata, & conceſſa, vbique communia, & indiuiſa, omnibus religioſis eſſe debeant. Quicunque verò pecuniam aut aliam rem qualemcunque ſibi quacunque cauſa conceſſam prælato ſuo celauerit furti reus cenſeatur, & tanquam fur puniatur. Eam tamen diligentiam, ſuperior cuiuſque domus adhibeat, vt de communi ipſius domus, ſingulis, iuxta exigentia conſulatur. Præterea ſorores dicti Tertii ordinis, in communi in domibus, monaſteriis, vel hoſpitalibus, aut alia congregatione viuentes, & dicta tria vota ſubſtantialia religionis emittentes, ſub perpetua clauſura maneant. Nulluſque frater aut confeſſor earum, vel quicunque prælatus, ad domos, monaſteria, vel alia loca ſororum huiuſmodi in communi & collegialiter viuentium, niſi quibus ex officio incumbit, & in caſibus neceſſariis à iure permiſſis, & tunc cum vno, vel duobus ſociis prouectis, & honeſtis, ingredi audeat, qui ſecus fecerit carceribus mancipetur, omnibuſq; adminiſtrationibus & officiis, deponatur: Ipſarum verò ſororum, & omnes alii confeſſores & ſacri concionatores, per generalem, vel prouincialem miniſtrum approbentur. In cæteris autem omnibus, quæ ad religioſam vitam pertinent, illa prædicti fratres, & ſorores Tertii ordinis obſeruare teneantur, quæ à prædicto Rodulfo Epiſcopo, & protectore, vigeſima octaua Aprilis, Anni Domini Milleſimi quingenteſimi quadrageſimi noni, fuerunt ordinata, (ſubſtantiam totius huiuſmodi regulæ maximè conti-

Quam auctoritatem habeant huiuſmodi viſitatores.

Nihil propriũ teneant.

Puniantur proprietarii.

Tertiariæ profeſſæ & in communi uiuentes clauſuram ſeruent.

Confeſſores omnes & concionatores tertii ord. approbentur à Miniſtro generali, uel prouinciali.

nentia,

nentia,quam fœlicis recordationis Nicolaus Papa Quartus prædeceſſor noſter, ad incrementum fidei catholicæ, approbauit, ita tamen vt præſentibus nullatenus aduerſentur,quęcunque vero dubia,in eis contigerit exoriri,illa omnia,generalis,& prouinciales miniſtri ordinis minorum huiuſmodi,debeant declarare,quorum declarationi, & determinationi eorum regulæ, & præſentibus non contrariæ, ſtari debeat. Ac decernentes,præſentes litteras,de ſurreptionis, vel obreptionis vitio,ſeu intentionis noſtræ defectu,nullo vnquam tempore, notari, ſeu impugnari poſſe,aut debere,nec aduerſus eas, & in eis contenta quæcunque,reſtitutionem in integrum,aut reductionem, ad terminos iuris vel aliud quodcunque gratiæ,ſeu iuſtitiæ remedium, quiſquam impetrare, vel etiam ab aliis impetrato, aut Motu proprio conceſſo vti valeat,ex quauis cauſa quantumlibet rationabili;ac omnia & ſingula præmiſſa,aliquibus eiuſmodi ordinis ſtatutorum, aut quibuſuis aliis reuocationibus,ſuſpenſionibus,limitationibus,& aliis contrariis diſpoſitionibus generalibus,vel ſpecialibus,per quoſcunque Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros,pro tempore factis,non comprehendantur:ſed ſemper ab illis excepta ſint. Sicque per quoſcunque iudices,quauis auctoritate fungentes,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores,ac S. R. E.Cardinales,etiam de Latere Legatos,in quauis cauſa,& inſtantia ſublata eis,& eorum cuilibet,quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate iudicari,& diffiniri debeat. Necnon irritum, & inane quicquid,ſecus,ſuper iis,per quoſcunque,quauis auctoritate etiã prætextu priuilegiorum,facultatum,diſpenſationum, & indultorum apoſtolicorum,quæ quo ad hoc penitus abolemus,aut quouis alio quæſito colore ſcienter,vel ignoranter contigerit attentari. Inſuper vniuerſis,& ſingulis fratribus,& ſororibus Tertii ordinis huiuſmodi, eorumque domibus,monaſteriis,& locis,omnia,& ſingula priuilegia, indulgentias,diſpenſationes,& indulta apoſtolica,fratribus,& ſororibus dicti ordinis minorum de obſeruantia,etiam quo ad Sacramentorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem, & receptionem quomodolibet conceſſa,& concedenda,quæcunque ſint,& fuerint,præſentibus tamen non repugnantia,ita vt illis omnibus,& ſingulis,pariformiter, & æquè principaliter vti,potiri,& gaudere liberè,& licitè valeant, concedimus,& indulgemus. Ceterum omnibus,& ſingulis fratribus,& ſororibus Tertii ordinis huiuſmodi,diſtrictiùs iniungimus, ut præſentes noſtras litteras humiliter recipiant,& quæcunque in eis expreſſa,ac per eas ſtatuta decreta,& mandata ſunt, alia deſuper à nobis non expectata iuſſione, aut mentis noſtræ declaratione,firmiter cuſtodiant,& in omnibus ſtudioſè obedire procurent. Quin etiam, dilectis filiis noſtris Carolo tituli Sanctæ Praxedis Presbitero Cardinali Borrhomeo nuncupato, dicti ordinis protectori,& illius Miniſtro generali, per apoſtolica ſcripta mandamus,vt ipſi,vel eorum alter,eaſdem præſentes, ac quicquid pro earum executione, & obſeruatione in dictis futuris capitulis prouincialibus,vel etiam extra illa,à generali, & prouincialibus miniſtris ordinis fratrum minorum de obſeruantia huiuſmodi,ſtatuetur,ordina-

bitur,

bitur,& decernetur,in omnibus domibus,monaſteriis, & locis virorum & mulierum,ac ab omnibus, & ſingulis fratribus, & ſororibus Tertii ordinis huiuſmodi,inuiolatè faciant per ſe, vel alium,ſeu alios obſeruari. Contradictores quoslibet,& rebelles,ac etiam proteſtantes, & reclamantes,eiſque auxilium,conſilium,vel fauorem publicè, vel occultè,directè,vel indirectè quouis quæſito colore, vel ingenio præſtantes tam Eccleſiaſticos,quam laicos,cuiuſcunque dignitatis,gradus, ordinis, vel conditionis fuerint per ſententias,cenſuras,& pœnas eccleſiaſticas,cæteraque iuris,& facti remedia opportuna appellatione poſtpoſita compeſcendo,legitimiſque ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias,cenſuras,& pœnas prædictas,etiam iteratis vicibus aggrauando,inuocato etiam ad hoc,ſi opus fuerit,auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus noſtra de non tollendo iure quæſito, & piæ memoriæ Bonifacii Papæ octaui,etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis,aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis. Necnon Tertii ordinis, illiuſque domorum, & etiam mulierum monaſteriorum prædictorum,iuramento, confirmatione apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus,priuilegiis quoque,indultis,& litteris apoſtolicis,illis, eorumque ſuperioribus,& perſonis,ac eorum ſingulis, per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros,ac nos & Sedem Apoſtolicam, etiam per modum ſtatuti perpetui,ac initi,& ſtipulati contractus,ac alias,ſub quibuſuis clauſulis,& decretis in genere, & in ſpecie conceſſis, confirmatis,ac etiam aliis reformationibus,quotieſcunque,ac quocunque tempore factis,& promulgatis,etiam Mare magnum,& Bulla aurea nuncupatis,ac quibuslibet aliis indulgentiis,&, exemptionibus apoſtolicis ſpecialibus,& generalibus quorumcunque tenorum exiſtant,per quæ præſentibus,non expreſſa,vel totaliter non inſerta,effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri,& de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Quæ omnia contra earundem præſentium tenorem,nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari. Per prædicta tamen, non intendimus reformationi fratrum, & ſororum Tertii ordinis huiuſmodi,in Hiſpaniarum Regnis conſtitutis in aliquo præiudicare,quò minus litteræ noſtræ deſuper editæ, & quæcunque illarum vigore,pro rerum,locorum, & perſonarum qualitate & exigentia facta ſunt,præſentibus non conformia, poſſint quoquo modo impediri, vel retractari. Denique volumus, quòd ipſarum præſentium exempla etiam impreſſa, dictique pro tempore exiſtentis Protectoris,aut Miniſtri generalis,vel prouincialis ſigillo, & Secretarii cuiuſuis eorum,vel Notarii publici manu obſignata, eandem illam fidem, vbique locorum in iudicio,& extra illud,faciant,quam ipſæ præſentes ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ: Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ extinctionis,abolitionis,prohibitionis,ſuppoſitionis, tributionis, conceſſionis, interdicti, ſtatuti, indulti, præcepti,decreti, mandati,iniunctionis,intentionis,& voluntatis infringere, vel ei auſu temerario,contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,indignatio-

gnationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorũ eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo. Quinto Nonas Iulii. Pontificatus noſtri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium,

S. D. N. PII PAPAE V. CONSTITVTIO

Quòd Moniales non exeant à clauſura, ſub pœna excommunicationis, & priuationis, Quæ etiam extenditur, ad dantes licentiam, comitantes, & receptantes.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

DECORI, & honeſtati omnium ſanctimonialium, quarum Ieſus Chriſtus Dominus noſter ſponſus eſt, vt in puritate, & caſtitate ſuper ædificantes, in ipſo feliciter inhabitare valeant conſulentes, ea quæ illarum exiſtimationi detrahere poſſent, decet nos conſultò ſummouere. Sanè, periculo, & ſcandalo plena res eſt, ac regulari obſeruantiæ vehementer aduerſatur, ſanctimoniales aliquando, parentes, fratres, ſorores, aut alios agnatos, vel cognatos,

tos,necnon monaſteria,& alia filiationes nuncupata,etiam eis ſubiecta, viſitandi,aut infirmitatis cauſa,alioue prætextu,à monaſteriis exire , & per ſecularium perſonarum domus diſcurrere,& vagari, quo veluti co lore,eximium quoque honeſtatis, & pudicitiæ decus ac diſcrimen com mittunt. Vnde nos,malo huic,pro noſtro paſtoralis officii debito,ſalubriter occurrere volentes, Inhærentes etiam decreto ſacri Concilii Tridentini,de clauſura Monialium diſponenti, ac aliis noſtris litteris ſuper huiuſmodi clauſura editis adiicientes,volumus,ſancimus,& ordinamus nulli Abbatiſſarum,Prioriſſarum,aliarumue monialium, etiam Carthuſienſis,Ciſternien.S.Benedicti,& mendicantium, & quorumcunque aliorum ordinum etiam Militiarum,ac ſtatuum,graduum,conditionum,dignitatum,ac præeminentiarum exiſtentium,etiam à Regia, vel Illuſtri proſapia ortarũ,de cętero etiã infirmitatis, ſeu aliorũ monaſteriorũ,etiã eis ſubiectorũ,aut domorũ parentũ,aliorũue conſanguineorũ viſitãdorũ,aliaue occaſione,& prætextu,niſi ex cauſa magni incẽdij, vel infirmitatis lepræ,aut epidimiæ,quæ tamen infirmitas,præter alios ordinum ſuperiores,quibus cura monaſteriorum incumberet, etiam per Epiſcopum, ſeu alium loci ordinarium, etiam ſi prædicta Monaſteria ab Epiſcoporum, & ordinariorum iuriſdictione exempta eſſe reperiantur, cognita, & expreſſè in ſcriptis approbata ſit, à Monaſterijs præfatis exire, ſed nec in prædictis caſibus, extra illa, niſi ad neceſſarium tempus,ſtare licere, Aliter autem quàm,vt præfertur,egredientes, ſeu licentiam exeundi quomodocunque concedentes,necnon comitantes,ac illarũ receptatrices perſonas,ſiue laicas,aut ſeculares,vel eccleſiaſticas,conſanguineas,vel non, excommunicationis maioris latæ ſententiæ vinculo,ſtatim,eo ipſo,abſque aliqua declaratione ſubiacere,à quo præter quàm à Ro.Pontifice, niſi in mortis articulo abſolui nequeant. Et inſuper tam egreſſas, quàm præſidentes, & alios ſuperiores prædictos,eis licentiam huiuſmodi concedentes,dignitatibus, officiis, & adminiſtrationibus,per eas,& eos,tunc obtentis priuamus,& illas,& illos ad obtenta,& alia in poſterum obtinenda,inhabiles, necnon licentias, & facultates,ſeu indulta,& priuilegia exeundi à monaſteriis,& extra illa ſtandi à nobis,ſeu alio Rom.Pontifice prædeceſſore noſtro, ac ſedis apoſtolicæ Nuntiis,& Legatis,etiam de latere: ac maiore Pœnitentiario,aut ordinum prædictorum ſuperioribus,aliiſue perſonis ſub quibuſcunque tenoribus,& formis, ac cum quibuſuis reſtitutiuis, præſeruatiuis,mentis atteſtatiuis,etiam nouam gratiam,& dat.concedentibus,aliiſque efficacioribus,& efficaciſsimis,ac inſolitis clauſulis,irritantibuſque & aliis decretis in genere,vel in ſpecie,etiam Motu proprio,& ex certa ſciẽntia,deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum,Ducum,& aliorum Principum, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium intuitu,& contemplatione,ac inſtantia; vel aliàs quomodolibet conceſſa (quæ prorſus abolemus) ac litteras deſuper confectas, & in poſterum concedendas, & conficiendas,nullas,& inualidas, nulliuſque roboris,ac momenti fore,nec illas habentibus, & habituris ſuffragari poſſe,& ita per quoſcunque iudices,& commiſſarios, quauis

Cauſæ ob quas egredi liceat.

Ad quos ſpectet egreſſuras licentiare.

Egredientium & fauorem illis præſtantiũ pœna.

auctoritate fungentes,ſublata eis,& eorum cuilibet aliter iudicandi,& interpretandi facultate,& auctoritate,iudicari,& diffiniri debere,irritū quoque,& inane,quicquid ſecus,ſuper his, à quoquam,quauis auctoritate ſcienter,vel ignoranter contigerit attentari decernimus.Mandantes vniuerſis,& ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis,Primatibus, Archiepiſcopis,Epiſcopis,& alijs locorum ordinariis, in virtute ſanctæ obedientiæ,& ſub obteſtatione diuini iudicii,& interminatione maledictionis æternæ,quatenus per ſe,vel alium,ſeu alios,præſentes literas in ciuitatibus,& diœceſibus propriis,quolibet anno publicent,omniaque in illis contenta, necnon præfatum decretum ipſius Concilii, quod incipit,Bonifacii viii. diligenter, & inuiolabiliter ſub cenſuris eccleſiaſticis,aliiſque præfatis pœnis,& in eodem decreto contentis, obſeruent,& obſeruari faciant,& procurent,Contradictores quoslibet,& rebelles, ac præmiſſis non parentes,etiam aliis pœnis auctoritate noſtra,appellatione poſtpoſita compeſcendo,Nec non legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus,pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando,interdictum eccleſiaſticum apponendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus,& ordinationibus apoſtolicis contrariis quibuſcunq; aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quòd interdici,ſuſpendi,vel excommunicari non poſſint,per litteras apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem,Aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, & iuribus,de huiuſmodi clauſura diſponentibus, nihilominus in ſuo robore duraturis. Cæterùm volumus, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis,manu alicuius notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo alicuius prælati munitis,eadem prorſus fides,vbique terrarum, tam in iudicio,quàm extra adhibeatur,quæ eiſdem præſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat,hanc paginam noſtræ ſanctionis,ordinationis,priuationis,abolitionis,decreti,mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono Kalendis Februarii. Pontificatus noſtri anno quinto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, Indictione decima tertia, die verò vigeſima ſeptima, menſis Februarij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri,

Domini

Domini P I I diuina prouidentia Papæ V. Anno eius quinto, retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ,& publicatæ fuerunt Romæ, ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ.& in acie campi Floræ, vt moris eſt per nos Ioannem Guererum,& Chriſtianum de monte, prælibati Sanctiſſimi Domini noſtri papæ Curſores.

Antonius Clerici Magiſter Curſorum.

S. D. N. D. GREGORII XIII.

Conſtitutio de eleemoſynis Monialibus præſtandis.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

DEO ſacris virginibus, quæ contemptis illecebris ſeculi, diuinis ſe obſequijs manciparunt, æquiſſimum eſt, præcipua quadam à nobis ac ſingulari ſolicitudine prouideri, tum vt ab eis omnia, quæ ſanctum ipſarum propoſitum impedire poſſent remoueantur, tum etiam, vt eis in cultu Dei caſtè ac religiosè permanentibus, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ſubminiſtrentur. Et quidem poſt ſacri Concilij Tridētini decretum, quo conſtitutio felic.record. Bonifacij Papæ viij. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit. Periculoſo, renouatur, prohibens ne aut ipſis monialibus ex monaſterijs ſuis egredi, aut vlli cuiuſcunque ſexus, aut ordinis perſonæ ad eas ingredi liceat. Et præterea vniuerſis Epiſcopis præcipitur, vt in omnibus monaſterijs ſibi ſubiectis, in alijs verò, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram ſanctimonialium, vbi violata, diligēter reſtitui, vbi verò inuiolata, conſeruari maximè procurent. Piæ memoriæ Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, victui quoque, & neceſſitatibus ipſarum, proſpicere cupiens, cum ſuperiora illa approbaſſet, atque innouaſſet, eademque omnia etiam in monialibus quarumcunque Militiarum etiam Hieroſolymitanæ, omnibuſque alijs tacitè vel expreſsè religionem profeſſis, quocunque nomine cenſerentur, locum habere decreuiſſet: ne illæ, quicquam detrimenti in neceſſitati-

Curam habeāt Epiſcopi circa monialiū clauſuram.

bus ſuis,hac occaſione paterentur, etiam præcepit locorum ordinarijs; & ſuperioribus eorum,vt fidelium eleemoſynas per conuerſas nō profeſſas, vel profeſſas quidem, ſed ætatis ſaltem quadraginta annorum, & iampridem conuerſas, quæ in domibus contiguis, extra tamen monaſterium degerent,colligendas curarent: ita tamen vt prædictæ conuerſæ neque clauſarum aliarum monialium, niſi in caſibus permiſſis ingrederentur,nec ex illis ipſis habitationibus ſuis ad tales eleemoſynas colligendas ſine permiſſu ordinariorum, aut ſuperiorum ſuorum exire poſſent. Quod ſi nec hoc quidem ſufficere videretur, idem Pius prædeceſſor mandauit ipſis ordinarijs,& ſuperioribus, vt negotium darent aliquibus perſonis pijs, tales eleemoſynas colligendi,aliaque arbitratu ſuo proſpicerent, quæ ad ſubleuandam monialium inopiam, expedire iudicarent. Cùm autem, ſicut accepimus, multæ moniales, etiam quæ tertiariæ vocantur, ſub ſolenni religionis voto, perpetuaq; clauſura degentes, aliæq; talibus litteris compræhenſæ,& in ipſa clauſura permanentes, multis præterea ad ſe ſuſtentandas neceſſarijs egeāt, neque vſque ad hoc tempus, vllo ſufficienti remedio earum neceſſitatibus ſubuentum ſit. Quin etiam aliæ tertiariæ, citra vllum ſolenne hucuſque votum viuant, quæ ad ſuas,ſuorumuè domos,neutiquam rediturræ eſſent, ſed ſub ſolenni religionis voto, & clauſura prædictis permanerent, ſi earum congruæ ſuſtentationi prouideretur. Nos, qui illas, neceſſarijs rebus deſtitui nolumus,certioreſq; facti ſumus in multis ciuitatibus,oppidis,villis,aut alijs locis,tam in Eccleſijs, & Monaſterijs, quàm Hoſpitalibus, Collegijs, Confraternitatibus, & alijs locis pijs, etiam quæ à priuatis hominibus,tum eccleſiaſticis tum laicis,multas ac diuerſas eleemoſynas Chriſti pauperibus erogari. Conſiderantes in eiuſmodi perſonas,vel in primis exercendam eſſe charitatem,quę voluntaria paupertate ſuſcepta,ab omni hominum commercio ſegregatæ, Deo ſeruiunt, & aſſiduis precibus, iram ipſius ob peccata conceptam à chriſtiano populo deprecantur. Illud quoque cogitantes,ſi eis, ad tales eleemoſynas petendas, ad loca prædicta conferre ſe liceret,vix fore, vt prædicta monaſteria, eccleſiæ, loca,ac perſonæ,eis ſingulis nō tantum ſaltem tribuerent, quantum ſingulis alijs pauperibus eòdem concurrentibus ſolent: Vniuerſo illi Deo deuotarum mulierum generi, de opportunæ ac ſufficientis ſubuentionis auxilio, prouidere cupiētes; De nobis attributæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, & ordinamus,vt omnes & quicunque Patriarchæ, Primates,Archiepiſcopi,Epiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati, necnon Abbates, Priores, Præpoſiti,& alij Ecclæſias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, & alias Eccleſias, necnon Monaſteria,Prioratus, Præpoſituras, Canonicatus, præbendas,dignitates,perſonatus, adminiſtrationes, officia, cæteraque beneficia eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, ſecularia,& ſancti Benedicti,ſancti Auguſtini, Ciſtercien. Cluniacen. Præmonſtraten. Cartuſien. Camaldulen. ſancti Baſilij, Caſſinen. aliàs ſanctæ Iuſtinæ, Montis Olìueti,ſancti Saluatoris,ac Lateranen. & Cruciferorum, ſeu Fratrum ſancti Hieronymi,necnō Prædicatorum,

Minorum,

Minorum, Minimorum, & Carmelitarum, Eremitarum eiuſdem ſancti Auguſtini, Seruorum B.Mariæ, ſanctæ Claræ, & quorumcunque aliorum tam virorum, quàm mulierum etiam Mendicantium ordinum, & congregationum, & Militiarum regularia, etiam de iure patronatus laicorum, etiam nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum exiſtentia in titulum, commendam, adminiſtrationem, & alias quomodocunque obtinentes, necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Adminiſtratores, cæteriq; omnes qui ratione illorum, necnon Capitulorum, Conuẽtuum, Menſarum, Hoſpitalium etiam Laicorum, & per Laicos adminiſtrari ſolitorum, Chriſtifidelium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocunq; nomine nuncupatorum, & in quibuſuis mundi partibus conſiſtentium, quæ ſingulis annis, menſibus, hebdomadis vel diebus ex Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Officiorum, dignitatum, & beneficiorum, ac Congregationum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, piorum, & aliorum locorum prędictorũ fructibus, redditibus, & prouentibus pauperibus Chriſti aliquas eleemoſynas in pane, frumento, farina, vino, edulijs, pecunia, ſeu aliis ad victum vel veſtitum pertinentibus, etiam ad ſupplicationem, & preces, & per cedulas, & bolettina, aut aliàs diſtribuere, elargiri ab immoriabili tempore conſueuerunt, aut alio quocunq; iure tenentur ex dictis fructibus, red ditibus, & prouentibus, quando hoſpitalia prædicta ex ijs, quæ ſeruata in illis actuali hoſpitalitate ſuperſunt, ſeu ſupererint, necnon quæcunque perſonæ particulares etiam laicæ, vel vniuerſitates etiam laicorũ, quæ teſtamento, vltima voluntate, vel alia diſpoſitione, etiam inter viuos, aliquas tales eleemoſynas facere tenentur dimidiam partem omnium & quarumcunque eleemoſynarum, & largitionũ huiuſmodi, quocunque nomine nuncupatarum, quocunque tempore, & modo diſtribui ſolitarum, etiam ſi ſpeciali nota dignæ, & ſecundum pias defunctorum, aut aliorum voluntates, ſub certa forma ab eis in teſtamento, vel alia quacunque diſpoſitione diſtribuendæ ſint, dũmodo non in certas perſonas, nec ad certos vſus pios alios, quàm victus, & alimenta pauperum diſtribuantur, quibuslibet prædictarum monialium etiam tertiariarum, ſub ſolenni religionis voto, & perpetua clauſura de cætero viuentibus & in terris, & locis, quorum pauperibus huiuſmodi eleemoſynæ diſtribuuntur, conſiſtentibus, verè, realiter, & cum effectu, & abſque vlla eleemoſynarum, & largitionum huiuſmodi petitione, exactione, & conquiſitione, aut alia deſuper à nobis expectata iuſſione, aut mentis noſtræ declaratione, ac quibuſuis mora, ſubterfugio, ac exceptiõe ceſſantibus, & electis, dare atque diſtribuere omnino teneantur, & quam dimidiam partem nos illis applicamus. Vt autem premiſſa omnia cum charitate & pietate procedant, & efficaciter ſuum effectum ſortiantur, vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum ordinariis per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt quiſque per ſe vel alium ſeu alios, ad præſentium executionem in ſuis ciuitatibus, & diœceſibus procedens, ab eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, cõfraternitatibus, ſcholis,

Quomodo monialiũ paupertati ſuccurrendum ſit.

collegiis,locis & eccleſiaſticis,ac laicis perſonis prædictis, etiam quomodolibet exemptis,dimidium eleemoſynarum huiuſmodi exigant, ac pro portione,vt ordinariis ipſis locorum æquum eſſe videbitur,ſingulis pauperum monialium, etiam Tertiariarum monaſteriis huiuſmodi ſuarum ciuitatum,& diœceſum,etiam ſi aliis ſuperioribus ſubiectæ ſint, cum effectu diſtribuant. Nos enim eiſdem locorum ordinariis etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis delegatis,ac cuilibet illorum tam per ſe,quã alium vel alios premiſſa faciendi, ac etiam contradictores quoſlibet & rebelles per pœnas pecuniarias eorundem ordinariorum,& cuiuslibet illorum arbitrio infligendas & applicandas, ac in ſubſidium ſententias cenſuras,& pœnas eccleſiaſticas,aliaque opportuna iuris & facti remedia quacunque appellatione poſtpoſita reſpectiuè compeſcendi,auxiliumque brachii ſecularis inuocandi,aliaque in præmiſſis,& circa ea neceſſaria,& opportuna faciendi,gerendi,mandandi,& exequendi, plenã & liberam facultatem,& auctoritatem concedimus,& impartimur. Inſuper,quia valde rationi conſonum eſt vt etiam ij, qui ipſis monialibus etiam Tertiarijs indigentibus prefatis,conſanguinitate aliqua ſunt coniuncti,aliquod in premiſſis ſubſidium conferant,cùm ratio ſanguinis,& debitum charitatis,& honeſtatis,id expoſtulet, ſingulis locorum ordinariis committimus,vt omni eos officio & diligentia monere, eiſque perſuadere ſtudeant,parentes verò & fratres ac alios,ad quos illas,ſi in ſeculo permanſiſſent,dotare pertinebat, vel ad quos bona & ſucceſſiones deuenerunt,& qui ſi eas nuptui tradidiſſent,multo ampliùs, quàm ingredientibus monaſterium dediſſent,vel qui ſi eas nunc domi retinerent,vel ſi ad illorum domos redirent,eas alere tenerentur,quibuſcunque viis ipſi bene uiſis inducant,vt monialibus etiam Tertiariis prædictis,iuxta eorum facultates,charitatiuè ſubueniant, ſcituri id ſibi etiam ad animarum ſalutem plurimùm profuturum. Cæterùm quod attinet ad conuerſas profeſſas, quas prædictus Pius prædeceſſor per prædictas litteras ſub certis conditionibus ibi contentis, permiſit poſſe manere extra monaſteria pro colligendis eleemoſynis eiſdem locorum ordinariis iniungimus,vt quibus monaſteriis prædictarum monialium quotidianis laboribus computatis,ſupradicta,vel alia qualibet ratione de ſufficienti ſubuentione, & ſuſtentatione prouiſum eſſe cognouerint, eaſdem Conuerſas,ſub eadem clauſura,cum aliis monialibus reducant,neque à ſuis monaſteriis ampliùs exire permittant: Conuerſas verò non profeſſas,& profiteri nolentes, dimiſſo habitu,domum remittant: neque aliàs in futurum, niſi profeſſionem ſuo tempore emiſſuras, atque ſub perpetua clauſura manſuras,in monaſteria huiuſmodi recipi permittant: Quòd autem idem Pius prædeceſſor ſtatuit, de cætero nullas alias Conuerſas profeſſas recipi ampliùs, etiam de conſenſu ſuorum ſuperiorum poſſe,ita eſſe intelligendum declaramus, præter illas conuerſas,quæ extra monaſterium in domibus contiguis degerent. Eleemoſynarum verò prædictarum contributionem & applicationem durare, & valere decernimus,ac ſuos effectus ad plenum ſortiri debere, donec numerus monialium etiam Tertiariarum huiuſmodi (quem per ipſos

Conuerſæ quã do & quomodo pro eleemoſynis egredi poſſint.

Conuerſæ nõ recipiantur niſi clauſurã profiteantur.

locorum

locorum ordinarios, etiam in monaſteriis ab eorum cura,& regimine quomodocunque exemptis,cum illarum ſuperiorum interuentu ſtabiliri,& ordinari,neque ſupra illum numerum, alias recipi poſſe, etiam de conſenſu ſuperiorum ſuorum, volumus,& mandamus) ita imminutus fuerit,vt reliquæ moniales & tertiariæ,ex propriis redditibus monaſteriorum ipſorum, vel conſuetis eleemoſynis, ſe commodè ſuſtentare queant: ſuper quo eorundem ordinariorum conſcientiam oneramus: ita tamen vt decedentibus ſingulis,ex tribus earundem monialium partibus,tertiæ quoque earundem eleemoſynarum partis diſtributio,& ſic ſucceſſiuè in totum extinguatur, atque in priſtinum ſtatum ſub debitis, aut ſolitis oneribus reuertantur,& remaneant. Declaramus præterea nullis monialibus,etiam Tertiariis,licere habere oſtium, per quod ex monaſterio introiri poſſit in ipſarum monialium eccleſiam exteriorẽ, in quam ſecularibus ad miſſas,& diuina officia patere ſolet acceſſus,ſed omnino muro oſtruendum: Neque itidem licere monialibus etiam tertiariis,egredi à ianua monaſterii, quæ eſt pro clauſura ipſius monaſterii,etiam ad claudendum aliam vlteriorem ianuam, qua patere ſolet aditus ſecularibus venientibus vel ad rotam,vel ad crates,ſeu loca colloquiis deſtinata,quæ vulgò parlatoria vocantur,vel ad pulſandum ipſam ianuam clauſuræ; quæ loca,cum ſaltem pro cauſis prædictis patere ſoleant ſecularibus, extra clauſurã cenſeri debent, etiam quo tempore clauſa ſunt. Inſuper quoſcunque dominos & magiſtratus temporales in Domino hortamur,monemus, & requirimus,vt ad omnem ipſorum ordinariorum:aut alicuius ipſorum petitionem,vel ſimplicem requiſitionem,illis in præmiſſis aſſiſtentes,omnem opportunum fauorem, & auxilium præſtent,& exhibeant, Ipſis denique Patriarchis, Archiepiſcopis,Epiſcopis,& aliis locorum ordinariis præcipimus, & mandamus, vt has præſentes noſtras litteras (quarum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,eandem vbique fidem in iudicio & extra,adhiberi debere volumus,quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur.ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ) ſinguli in ſua ciuitate & diœceſi publicent,ac publicari,eaſque iuxta earum continentiam,& tenorem, vnà cum prædictis ac aliis prædicti Pii V. & aliorum prædeceſſorum noſtrorum litteris,& conſtitutionibus,& iuſſionibus pro integra clauſuræ inſtauratione,cuſtodia,& firmitate editis, inuiolabiliter obſeruent & obſeruari faciant. Non obſtantibus teſtatorum, & aliorum uoluntatibus, ac fundationibus,& Bonifacii prædicti de vna,& Concilii generalis de duabus non tamen tribus dictis,ac quibuſuis aliis Apoſtolicis, necnon in prouincialibus,& Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſuis eccleſiarum, monaſteriorum,& illorum ordinum, Hoſpitalium,Militiarum,Confraternitatum,Collegiorum,& aliorum piorum locorum prædictorum,etiam iuramento,confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis,& conſuetudinibus,etiam immemorabilibus,priuilegiis quoque,indultis,exemptionibus,libertatibus,gratiis,& litteris Apoſtolicis,

Obſtruantur oſtia de clauſura in eccleſiam aditum habentia.

Non exeãt moniales ad claudendam ianuam,

S. D. N. GREGORII PAPAE XIII.

Reuocatio omnium licentiarum ingrediendi Monaſteria Monialium, & Virorum.

Et prohibitio ne habentes licentias ab Epiſcopis vel Superioribus in caſibus neceſſariis, ingrediantur monaſteria Monialium, niſi urgentibus neceſſitatibus.

GREGORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

VBi gratiæ, & indulta ab hac Sede conceſſa, ſucceſſu temporis incommodum afferre noſcuntur: expedit illa ſalubri præſidentis conſilio ſubmoueri. Proinde ſanctimonialium quieti, & tranquillitati conſulere, ac omnia quæ illas à ſpiritualium rerum cogitatione, & exercitio auocant, impedimenta tollere, periculaque, & ſcandala, ab eis remouere cupientes, auctoritate præſentium reuocamus, & abolemus omnes, & quaſcunque licentias, ac facultates ingrediendi Monaſteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam Virorum quorumuis ordinum, quibuſuis etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis, & aliis cuiuſcunque ſtatus, & conditionis mulieribus; ac etiam omnes & quaſcunque licentias ingrediendi Monaſteria, Domos, & loca ipſarum Sanctimonialium, quibuſcunque viris etiam cuiuſcunque ſtatus, & dignitatis tàm à prædeceſſoribus noſtris, quàm etiã à nobis, & Sedis Apoſtolicæ Legatis, aut aliis, ex quibus quantumcunque vrgentibus cauſis, ſub quibuſcunque tenoribus, etiam derogatoriarum derogatoriis, reuocatoriarum reſtitutoriis, aliiſq; efficacioribus clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumue Principum contemplationẽ, vel ſupplicationem conceſſas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renouatas: Caſſamuſque & annullamus litteras deſuper confectas, & proceſſus habitos per eaſdem. Inhibentes eiſdem, qui illas obtinuerunt, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, ſuper qua, à nemine niſi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) abſolutionis beneficium poſſit impertiri, ne ipſarum licentiarum prætextu, Monaſteria huiuſmodi quouiſmodo ingredi audeant. Abbatiſſis verò, necnon Abbatibus, Conuentibus, ac alijs Monaſteriorum vtriuſque ſexus ſuperioribus, & perſonis quocunque nomine vocentur, diſtrictè præcipimus ſub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſuorum,

Reuocatio quarumcunq; licentiarum.

Pœna ingredientium & ingredi permittentium.

ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ne in Monaſteria, Domos, & loca ſua quemquam prætextu huiuſmodi licentiarum & facultatum ingredi faciant vel permittant. Quin etiam ſub eiſdem pœnis, ipſo facto incurrendis prohibemus atque interdicimus omnibus, & quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis, & ſecularibus, ac etiam ordinum quorumcunque, etiam mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in caſibus neceſſarijs tantùm ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, Monaſteria ipſa Monialium pro libito, ſed neceſſitatibus vrgentibus dumtaxat, ingredi, neuè Moniales ſub eiſdem pœnis illos aliter admittere præſumant. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Monaſteriorumque & ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolicis, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus prædictis, ac alijs quibuſcunque, per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictā Sedem ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cū quibuſuis clauſulis & decretis conceſſis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis: quibus o͞ibus, eorū tenores, perinde ac ſi de uerbo ad verbū inſererētur, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illas aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus: cæteriſque contrariis quibuſcunque. Quoniam autem difficile eſſet præſentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis. etiam impreſſis, manu notarii publici, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud, vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reuocationis, abolitionis, caſſationis, annullationis, inhibitionis, præcepti, prohibitionis, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctum Petrū Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto. Idibus Iunii. Pontificatus noſtri anno quarto.

Cæſ. Glorierius.

M. Datarius.

A. de Alexiis.

Bulla

Bulla S. D. N. D. Pii Papæ V. De modo ſeruando in Electionibus prælatorum ordinis minorum Sancti Franciſci de obſeruantia.

PIVS PAPA QVINTVS.
Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis officii nobis diuinitus iniuncti, aſſidua ſolicitudo nos admonet, vt omni cura, & vigilantia ea ſemper intendamus, per quæ, omnes perſonæ regulares, ſub ſuaui religionis iugo, Altiſſimo famulantes, in regularium ac ſalutariũ inſtitutorum obſeruatione, non modò conſeruentur, ſed ad illa obſeruanda, modis, & rationibus congruentibus, admoneantur; & impellantur. Conſiderantes autem, quàm vberes fructus, ordo Fratrum minorum ſancti Franciſci de obſeruantia, qui in humilitate & patientia potiſſimùm fundatus exiſtit, hactenus in agro Domini attulerit, & in dies magis, cooperante eo, à quo bona cuncta procedunt, afferre non ceſſet, nonnulla ordinanda, & à fratribus prædictis obſeruanda cenſuimus, per quæ, Deo omnipotente auctore, dictus ordo, per noſtræ prouidentiæ miniſterium, fœlicia in Domino ſuſcipere poſſit incrementa. Motu igitur proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura ſanctione ſtatuimus, & ordinamus; Quòd illi fratres eiuſdem ordinis, poſthac, in Generalem Miniſtrum, & reliquos ſuperiores, ſolùm eligantur, qui regulã ipſius beati patris ſeraphici bene obſeruare, & qui in choro, victu, veſtitu, quantùm officij neceſſitas conceſſerit, cum alijs ſe conformare ſoleant ac debeant, ſuper quo Barchinonales conſtitutiones, harum ſerie innouamus: omneſque tam ſuperiorum quorumcunque, quàm diffinitorum, Cuſtodum, & diſcretorum electiones, per uota ſecreta fiant, iuxta ſacri Concilij Tridentini decreta, aliter electiones factæ pro tempore, nullæ, & penitus irritæ ſint, & inanes, electique pœnas in dictis decretis contentas, incurrant eo ipſo. Quòdque Miniſter Generalis, Commiſſarius, ſeu Procurator Generales, & Prouinciales, in eo capitulo quo abſolui debent, diffinitores non ſint, neque vocem habeant, ſed facta ſucceſſoris electione, diſcedant, vt ſiquis eos accuſare velit, liberè agat. Quòd Prouincialium Miniſtrorum electio, liberè per vota ſecreta, vt ſupra, fiat, Ita vt Commiſſarius Generalis, vel qui electioni præſederit, ſi formam prædictam tranſgredi, ſeu electores, quominus liberè eligant, quouiſmodo impedire conuictus fuerit: officio priuatus exiſtat. Qui verò, in electionibus omnibus, vel ante eas, per ſex menſes, pro ſe, uel pro alio ſubornauerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, à qua, niſi à Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolui non poſſit, ac voce actiua & paſſiua perpetuò careat, ſubornatus, vel alius, etiam pro quo ſubornatio,

Prelati quales debeant eligi

Electiones ſecretè fiant.

Subornãtium pœna.

Pena procurãtis dignitatem medio ſecularium. ſiet, qui ſubornantem non detulerit, eandem pœnam incurrere cenſeatur; Qui autem ad officium obtinendum quorumuis fauorem extra religionem procurauerit, vltra prædictas pœnas per menſem carceri mancipetur. Quòd officium Generalis Miniſtri octo annos duret; Commiſſarii, & Procuratoris Generalis, ac prouincialis quatuor, ipſique ſemel officio functi, ad idem eligi non poſſint, niſi poſt ſexdecim annos, nec Miniſter Generalis in commiſſarium, vel procuratorem generales, nec commiſſarius generalis in Miniſtrum, ſeu Procuratorem generales nec Procurator generalis in Miniſtrum vel commiſſarium generales, niſi poſt dictos ſexdecim annos, vt munus ſibi iniunctum, cum maiori fructu exercere valeant; Poſſit tamen Miniſter prouincialis in alia prouincia prouincialis eſſe. Et capitulum, quod dicitur intermedium, poſt quatuor annos ab electione Generalis celebrari debeat.

Generalis ſit, octennalis. Prouinciales ſint quadriennales. Vacatio ab officiis.

Generalis habeat duos diſcretos. Quòd Generalis Miniſter habeat duos diſcretos ſecum, vnum ex qualibet familia, quorum conſilio vti debeat in grauioribus, ſintque immediatè ſubditi Miniſtro Generali, ac in generali, & prouincialibus capitulis habeant vocem, & præcedant omnes alios tàm in loco, quàm in uoce, niſi illos dumtaxat qui Miniſtri Generalis munus obierint, Vnaqueque autem familia ſuum eligat, poſt electionem Miniſtri generalis, & diffinitorum. Si moriantur, aut occupentur à nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, occupatione longa, aut ab ipſo generali miniſtro legitimè priuentur, alium, ſeu alios eligat Miniſter Generalis, præcedente voto prouincialium eiuſdem familiæ; eorumque officium cum ipſo Miniſtro generali expiret, tametſi in Capitulis Generalibus officio diſcretorum huiuſmodi functi, vocem habere poſſint. Quòd generalis miniſter duos ſecretarios habeat, alterum videlicet ex altera familia, quo cum negocia cuiuslibet familiæ expediat, eiſque arbitri ſuo vti poſſit. Quòd ſacræ Theologiæ lector, qui quatuor curſus abſoluerit, actiua, & paſſiua voce vtatur, in prouinciali capitulo. Quòd miniſter Generalis, Commiſſarius, Prouinciales, & alij viſitatores, & domi, & foris, ita parcè & modeſtè in expenſis ſe gerant, vt ſanctæ paupertatis memores, tam conuentus releuare, quàm proximos ædificare procurent; Qui tamen hoc non ſeruabit, ſi Generalis fuerit, à diffinitoribus capituli generalis, reliqui à ſuperioribus condignè puniantur. Poſtremò quòd in nouitiis recipiendis, fiat inquiſitio de moribus & vita eorum, iuxta regulam eiuſdem beati Franciſci, quæ ait, diligenter examinent eos de fide catholica & de eccleſiaſticis ſacramentis &c. Et fiat inquiſitio de progenitorum ſuorum defectu, volentes quòd ijs, qui ex Maumethanorum, vel Iudæorum genere deſcendunt, cum poſt ſuſceptum ab eis ſacrum baptiſma, græci, & Iudæi diſtinctio eſſe non debeat, nullatenus defectus generis huiuſmodi, quominus in ordinem prædictum recipiantur, & ad conſequendas in dicto ordine dignitates, & gradus & officia religionis, vel cuipiam alteri nocere poſſit, vel debeat Et quo ad deſcendentes ex hæreticis videlicet conuerſis, pariter minimè circa præmiſſa quicquam obſtet, quo ad verò illos, qui ex hæreticis damnatis, & non conuerſis, vel quorum ſtatuæ combuſtæ fuerunt, origi-

Et totidem ſecretarios. Lectores quadruplici curſu completo uocem in capitulis habeant.

ginem ducunt, per lineam paternam vſque ad ſecundam generationem, per lineam autem maternam, vſque ad primam, tantùm in præmiſſis obeſſe decernimus, & idem ſeruetur in fratribus, qui ad ſacros etiam presbyteratus ordines admittuntur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſuis dicti ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, ordini, & ſuperioribus huiuſmodi, per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, & ſedem Apoſtolicam, etiã motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque fortioribus, efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & ſæpius innouatis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum tenores præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub anulo piſcatoris die vigeſima octaua Maii, M. D. L X X I. Pontificatus noſtri anno ſexto. Cæ. Glorierius.

Quæ nationes prohibẽtur ad dignitates obtinendas.

Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, Indictione decima quarta, die verò vltima, menſis Maii, Põtificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri, Domini Pii, diuina prouidentia, Papæ Quinti, anno ſexto, Retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ lectæ, & publicatæ fuerunt in generali retroſcriptorum fratrum Minorum de obſeruantia videlicet, Miniſtrorum Generalis, & Prouincialium, ac vocalium congregatione habita in conuentu Sanctæ Mariæ de Aracœli de Vrbe per me Robertum Fontanum Archiuii Rom. Cur. ſcriptorem Clericum Mutinen. præſentibus Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Alexandro Cardinale Cribello Viceprotectore, & Reuerendo Patre Domino Hieronymo Albornoz electo Tucumanen. Epiſcopo teſtibus &c. In quorum fidem hic me ſubſcripſi.

Robertus Fontanus Archiuii Roma. Cur. ſcriptor.

Modificatio, & declaratio Bullæ Pij V. de modo ſeruando in electione Prælatorum ordinis per S. D. N. Grerium Decimumtertium facta.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Conſueuit Romanus Pontifex, cui vniuerſi Chriſtifideles curæ ſunt, de religioni adſcriptis viris, vt in regularis obſeruantiæ candore, ijdem, conſeruentur, ſpecialem cogitationem ſuſcipere, quòd ſi aliquã per prædeceſſores ſuos, ad eum finem ſtatuta ſunt, quæ experientia docente, minimè ex

pedire cognoſcit,declarationibus, alijſque rationibus,non deſinit pro-
ſpicere. Accepimus nuper fel.rec.Pium Papam V.prædeceſſorem no-
ſtrum, per ſuas in forma Breuis litteras, quarum ſeriem præſentibus,
pro expreſſis habemus,circa ordinem Fratrum minorum de obſeruan-
tia,ſalubriter in via Domini dirigendum, inter alia de Miniſtro gene-
rali,Commiſſario,& Procuratore etiam generalibus,& prouincialibus
vt eo in capitulo quo abſolui debent,diffinitores non eſſent, neque vo-
cem haberent ſtatuiſſe.Nos eam prædeceſſoris ordinationem, nonnul-
lis de cauſis,quæ rationi maximè conſonæ ſunt adducti: ad eum actum
coarctamus,dum in officio quod geſſerunt,ſucceſſor eligitur.Dictarum
verò litterarum partem,quæ antedictæ proxima eſt, in qua cauetur, vt
iidem omnes Miniſter generalis, & alii prædicti facta ſucceſſoris elec-
tione diſcedant,nos ita declaramus,vt ſtatim facta renunciatione offitij
diſcedere debeant,vt ſiqui eos accuſare velint, durante tempore ſindi-
catus,liberè id facere poſſint,eo autem finito, iuxta ſeriem dicti ordi-
nis generalium ſtatutorum in diffinitorio recipiantur. Ac dum per eaſ-
dem litteras præcipiebatur,quòd Prouincialium Miniſtrorum electio,
liberè per uota ſecreta fieret, ita,vt Commiſſarius generalis, vel qui ele
ctioni præſideret,ſi formam prædictam tranſgredi ſeu electores, quo
minus liberè eligerent,quouiſmodo impedire,conuictus fuiſſet, officio
priuatus exiſteret:qui verò in electionibus omnibus,vel ante eas per ſex
menſes pro ſe,vel pro alio ſubornaſſet,excommunicationis ſententiam,
à qua non niſi per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem,præ
terquam in mortis articulo abſolui poſſet,& voce actiua,& paſſiua per-
petuò careret,facultatem quo ad caſus prædictos, Romano Pontifici dũ
taxat per dictum prædeceſſorem reſeruatam,etiam Miniſtro,& Cõmiſ-
ſario generalibus,quando de ipſis non agitur, in omnes euentus prædi-
ctos impartimur. Quod autem de ſubornato,& eo,pro quo, ſuborna-
tio fieret,qui ſubornantem non detuliſſet,vt eandem excommunicatio
nis pœnam incurreret,per dictum prædeceſſorem ſtatutum fuit,penitus
abolemus Et quod diſponebatur de officio generalis Miniſtri,quòd per
octo annos duraret: Commiſſarij verò,ac Procuratoris generalis,nec-
non prouincialis per quatuor,ipſique ſemel officio functi, ad idem eli-
gi non poſſent,niſi poſt ſexdecim annos, nos ad ſtatutorum generaliũ
dicti ordinis ſeriem,& formam reducimus,quibus dicitur expreſſè,quòd
officia ſemel exercentes,ab eis,quæ geſſerunt, per duplum temporis va-
care debent,ita vt duæ electiones celebrentur,antequam ad eadem offi-
cia iterum eligantur. Corrigimus etiam litterarum prædictarum, eã
partem,in qua ſtatuitur,quòd nec Commiſſarius generalis in Miniſtrũ
ſeu Procuratorem generales, nec Procurator generalis in Miniſtrum,
vel Commiſſarium generales,nec Miniſter generalis in Procuratorem
vel Commiſſarium generales,niſi poſt dictos ſexdecim annos eligi poſ-
ſint: dantes, & concedentes eis ad quos ſpectat facultatem Commiſſa-
rium generalem in Miniſtrum,ſeu Procuratorum generales, & è con-
uerſo etiam immediatè poſtquam aliquo ex dictis officiis functi fue-
rint,etiam lapſu temporis prædicto non expectato,pro tempore eligen-
di.

Qui in electione ſucceſſoris uotum non habent.

Quando abſẽtare ſe debent.

A ſubornatione poteſt prælatus abſoluere.

Quandiu ab officiis vacandum.

Quõ prælatus ad aliã prælaturã eligi poteſt.

di. Prærea ex eiſdem litteris quod de duobus diſcretis, quorũ conſi lio generalis Miniſter vti deberet, mandatum fuerat, cum expertum ſit dictos diſcretos habere, nequaquam ordini prædicto expedire, Quodque de ſacræ Theologiæ lectore, qui quatuor curſus abſoluiſſet, vt actiua, & paſſiua uoce in prouinciali Capitulo vteretur, in eiſdem ſtatueba tur: tollimus. Decernentes de nouo, quod quo ad illos qui ex Mahumetanorum, Iudæorum, vel hæreticorum damnatorum deſcendunt origine, ſeruetur quod piæ memoriæ Paulus Papa IIII. prædeceſſor noſter, per ſuas in forma breuis litteras ſub Dat. Videlicet vigeſima quarta Aprilis, M. D. L V I I I. Pontificatus ſui anno quarto, ſtatuit. Non obſtan. litteris prædeceſſoris noſtri prædictis in partibus per nos aliàs declaratis, & reformatis, quas in reliquis firmas eſſe uolumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub anulo Piſcatoris, die octaua Septembris, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Diſcreti generales amouentur.

Quid de Iudæis Religioſis factis.

Cæ. Glorierius.

Vniuerſis & ſingulis præſens tranſumptum inſpecturis, nos Franciſcus Alciatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbiter Cardinalis, ac totius ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de obſeruantia nuncupatorum viceprotector, omnibus notum facimus, & atteſtamur, quatenus litteras originales Sanctiſſimi in Chriſto patris, & Domini noſtri Gregorii XIII. in forma breuis ſub anulo Piſcatoris impreſſi pro parte Reueren. Patris Fratris Franciſci de Viſono, eiuſdem ordinis obſeruantiæ in Cur. Rom. Commiſſarii nobis exhibitas, ſanas, integras, auctenticas, nõ vitiatas, omnique prorſus vitio, & ſuſpicione carentes vidimus, & diligenter inſpeximus, ac coram nobis per Notarium infraſcriptum colla tionari, & auſcultari audiuimus cum præimpreſſo exemplo, quod cùm per omnia ipſis originalibus concordari reperiretur, ad eius vbique fidem faciendam per modum auctentici tranſumpti, auctoritatem noſtrã pariter, & decretum interpoſuimus, ac ſigillo noſtro muniri mandauimus. Actum & Datum Romæ in Domo noſtræ ſolitæ habitationis, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Die verò vndecima Septembris, Pontificatus eiuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Gregorii Papæ XIII. Anno ſecundo.

DEROGATIO MODIFICATIONIS, præcedentis Bullæ, declaratio eiuſdem, & ampliatio ab eodem S. D. N. Gregorio Papa XIII. facta.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam,

CONſueuit Romanus Pontifex, cui vniuerſi fideles curæ ſunt, de religioſis, vt in regularis obſeruantiæ candore ijdem cõſeruentur, ſpecialem cogitationem ſuſcipere. Quòd ſi aliqua à ſe vel ſuis prædeceſſoribus ad eum finem ſtatuta ſint,

quæ

quæ experientia docente, minimè expedire cognoſcit, declarationibus, alijſque rationibus non deſinit proſpicere. Itaque licet Pontificatus noſtri initio, quaſdam litteras in forma Breuis ſanctæ mem. PII Papæ V. prædeceſſoris noſtri, de modo in electionibus prælatorum ordinis fratrum minorum de obſeruantia ſeruando emanatas, ad aliquorum dicti ordinis prælatorum inſtantiam, per alias ſimiles noſtras litteras, Pontificatus noſtri anno ſecundo, die octauo Septembris datas moderauerimus, declarauerímuſque atque in quibuſdam reuocauerimus, tamē procedente tempore, ipſa experientia docuit, nonnulla aliter atque in dicti prædeceſſoris noſtri litteris, ſtatuta & decreta erant, & per nos mutata, declarata vel reuocata, in priſtinum reſtitui debere, vel illa in conuenientiorem dicto ordini modum reformare & declarare expedire, necnon aliqua ad obſeruantiæ regularis in dicto ordine conſeruationē ſpectantia, de nouo ſtatuere: Cùm igitur inter cætera dictus prædeceſſor noſter ſtatuerit, quòd Miniſter generalis, Cōmiſſarius & Procurator generales, necnon Rom. Curiæ Cōmiſſarius, & prouinciales Miniſtri in eo capitulo, in quo à ſuis officiis abſolui debent, diffinitores non ſint, neq; vocem habeant, ſed facta ſucceſſoris electione diſcedant, vt ſi quis eos accuſare velit, liberè agat: nos eam prædeceſſoris ordinationem ad eum actum coarctauimus, dum in officio quod geſſerunt ſucceſſor eligitur. Dictarum verò litterarum partem, quæ antedictæ proxima eſt, in qua cauetur, vt ijdem omnes Miniſter generalis, & alij prædicti facta ſucceſſoris electione diſcedant, nos ita declarauimus, vt ſtatim facta officii renunciatione diſcedere debeant: vt ſiqui eos accuſare velint durante tempore ſyndicatus, libere id facere poſſint: eo autem finito iuxta ſeriem dicti ordinis generalium ſtatutorum in diffinitorio recipiantur. Ad tollendam autem omnem ambiguitatem & difficultatem, quæ ſuper iſtis noſtris, vel prædeceſſoris noſtri verbis, oriri inter Fratres prædictos poſſent, ita vt ſequitur quid circa prædicta ſeruari uelimus, expreſſiùs declaramus volentes omnes prædictos, ſcilicet generalem Miniſtrum, Cōmiſſarium, & Procuratorem generales, vel Cōmiſſarium Curiæ, non debere admitti in diffinitorio capituli generalis, in quo à ſuis officijs abſoluuntur, neque in eo loco vocem habere, dum is actus agitur, in quo ſyndicatus ſui rationem reddere tenentur. Sic quòd Miniſter generalis facta officij renunciatione antequam ſucceſſor eligatur diſcedat ex diffinitorio, vt eo abſente liberè agere poſſint contra eū, ſiqui ex prouinciis accuſare eum uelint, & ullas habeant aduerſus eum querelas: quo actu finito, in omnibus aliis actibus, & electionibus, & diffinitoriis adeſſe poſſit, & vocem habere, in quibus ſecundum generalia ordinis prædicti ſtatuta adeſſe, & vocem habere poſſit. Idem de Cōmiſſario generali reſpectiuè ſeruetur: ſic quòd Cōmiſſarius generalis poſt redditam ſyndicatus ſui rationem in aliis actibus & electionibus vocem habere poſſit, in quibus ſecundum ſtatuta generalia vocem habere Cōmiſſarii generales hactenus potuere. Prouinciales quoque Miniſtri, poſt redditam ſyndicatus ſui rationem, poſſint, & debeant in diffinitorio admitti, & vocem in reliquis actibus capituli prouincialis electionibúſque

Innouatio.

Quomodo prę lati In electione ſucceſſorum habeant votū

buſque habere. Idem de Procuratore generali, Cõmiſſarióque Curiæ obſeruetur reſpectu capituli generalis: quòd ſcilicet ſint de diffinitorio, vocémq; in omnibus actibus & electionibus capituli generalis habeant, præterquam dum is actus agitur, in quo ſyndicatus ſui rationem, reddere tenentur. Neque enim æquum cenſemus, vt iis qui negotiorum ordinis habent experientiam, & notitiam excluſis, per ſolos Generalem, & diffinitores nouos, rerum religionis non ita gnaros, aut expertos, atque opus eſſet, de illis pronuntietur, ſtatuatur, & diffiniatur. Declarãtes etiã non eſſe mentis noſtræ aut voluntatis; generalem miniſtrum, aut Commiſſarium generalem ordinis, conceſſa illis per ſtatuta generalia voce, priuare, aut à capituli generalis diffinitorio excludere, niſi tum dum de particulari vniuſcuiuſque eorum accuſatione & correctione agitur, & deliberatur. Eam autem partem litterarum noſtrarum, qua dicimus, corrigimus etiam litterarum prædictarum eam partem, in qua ſtatuitur quòd nec Cõmiſſarius generalis in Miniſtrum, ſeu Procuratorem generales, nec Procurator generalis in Miniſtrum, vel Cõmiſſarium generales, nec Miniſter generalis in Procuratorem, vel Cõmiſſarinm generales, niſi poſt ſexdecim annos eligi poſſint: Dantes & concedentes eis ad quos ſpectat, facultatem Cõmiſſarium generalem in Miniſtrum ſeu Procuratorem generales, & èconuerſo etiam immediatè poſtquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, etiam lapſu temporis prædicto nõ expectato, pro tempore eligendi, pariter mutandum decreuimus: vt omnino iuxta prædeceſſoris noſtri decretum, illi qui Miniſtri fuerint, Cõmiſſarii, aut procuratores generales, vel curiæ Cõmiſſarii, nõ poſſint niſi poſt ſexdecim, à ſua, ab officiis prædictis abſolutione, finitos annos, in generales Miniſtros, Cõmiſſarios, aut Procuratores, vel Curiæ Cõmiſſarios eligi aut aſſumi: quatenus dum in officiis prædictis fuerint, ablata illis omni ambitionis occaſione, totos ſe ad ea quæ ſuarum partium eſſe dignoſcuntur, ſincerè diligentèrque agenda conuertant, & dedant, omni ambitus cogitatione abiecta. Miniſtri autem prouinciales per duplum temporis officii miniſteriatus, poſtquam abſoluti à tali officio fuerint, in Miniſtros prouinciales reelegi non poſſint. In reliquis litteras noſtras prædictas firmas eſſe volumus, atque in ſuo permanere robore. Ad ea autem, quæ in prædictis prædeceſſoris noſtri litteris contra recurrentes ad ſecularium & aliquarum extra dictum ordinem perſonarum fauores, ad aliquod officium in ordine habendum ſtatuta ſunt, aliquid addẽdum cenſuimus. Nam dum aliquæ extra dictum ordinem perſonæ pro aliquo fratre officium quodpiam vel per ſeipſos, vel per nuncios ſuos, aut litteras petebant, negare dicti fratres conſueuere, ſe vllo modo dictas perſonas ad prædicta ſolicitaſſe: idem quoque dictæ perſonæ facere ſolitæ erant, negantes ſe à dictis fuiſſe fratribus ſolicitatas ad tale pro eis faciendum officium, ſicque ad eorum correctionem, qui contra dictam prædeceſſoris noſtri ordinationem faciebant, procedi nullo modo poterat. Vnde vt huic malo, obuiam conuenienti eatur remedio, ſtatuimus & decernimus, quòd is frater pro quo ſecularis aliquis cuiuſcunq; gradus, aut conditionis fuerit, & quæcunque alia, extra dictũ ordinẽ, perſona

Innouatio.

Miniſter & Cõmiſsarius generales, ac Curię procurator ad quæ officia eligi non poſſint niſi ſexdecim annorum Curriculo tranſacto.

Miniſtri prouinciales quanto tempore ab eodem officio vacare debent.

Innouatio.

perſona rogauerit & petierit,verbo litteriſue,aut nuntiis,ſeu aliàs quo modocunque per ſe vel alios,vt aliquod illi officium in ordine prædicto detur,ipſo facto actiua,paſſiuaque voce priuatus ſit , ad omniàque ordinis officia inhabilis habeatur,niſi legitimè conſtiterit aliquem ex malitia rogatores huiuſmodi ſubornaſſe, vt illi pro quo rogarent aut ſcriberent,occaſione huius noſtri ſtatuti nocerent,& præiudicarent:vt pro eo quòd amicos ſuos extra ordinem fratres prædicti ſolicitare conſueuerant,ad aliquod in ordine officium eorum fauore aſſequendum,maiori vtantur de cætero diligentia ad eos hortandos & rogandos , ne vllũ pro ipſis officium petant , aut ad aliquod pro illis habendum officium, ſuum interponant fauorem.Non obſtantibus præmiſſis,necnõ omnibus illis,quæ in litteris prædictis conceſſum fuit non obſtare,cæteriſq; contrariis quibuſcunque , Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo piſcatoris die vigeſima nona Aprilis, M. D. LXXVIIII. Pontificatus noſtri anno ſeptimo·

Quàm grauiter puniatur q fauorem extra ordinem attẽtarit.

Cæ . Glorierius.

Die V.menſis Iunii 1579. Pariſiis in cœnobio Fratrum minorum,de obſeruantia,congregatis omnibus vocalibus,qui ad celebrandum capitulum generale conuenerunt , per Reuerendiſſimum patrem de Capite Fontium,prædicti ordinis generalem Miniſtrũ, in loco diffinitionis capituli nuncupato,præfatum Breue per Reuerendiſs.D.Anſelmũ Dandinum Prothonotarium Apoſtolicum Sanct.D.N.Gregorii XIII.& ſedis Apoſtolicæ apud Henricum III.Gallorum regem Nuntium, præſentatum,publicatum & intimatum fuit , & per me Leonardum Iacopinum Callienſ.eiuſdem Domini Nuntii Secretarium de mandato ipſius , alta & intelligibili voce,lectum fuit.

Leonardus Iacopinus qui ſupra.

Series Cartarum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll
Mm Nn Oo Pp Qq.

Omnes ſunt duernioncs,præter X. qui eſt Ternionis.

Mediolani apud Pacificum Pontium, Anno ſalutis. 1580.